881
T6.Yi

UNIVERSITY OF
ILLINOIS LIBRARY
AT URBANA-CHAMPAIGN
CLASSICS

Digitized by the Internet Archive
in 2012 with funding from
University of Illinois Urbana-Champaign

http://archive.org/details/quaestionesthucy00ippe

881
T6.Y2

QUAESTIONES THUCYDIDEAE.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI

CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

EDUARDUS IPPEL

BEROLINENSIS.

HALIS SAXONUM MDCCCLXXIX.

881
TG.Yi
Classics

Cum quae de Thucydidis vita veteres memoriae prodiderunt haud ita magna auctoritate nitantur, tum quae de tempore quo historiam suam scripserit accepimus, cum non aequalium testimoniis corroborata sed compluribus saeculis post coniecta magis quam comfirmata sint, minus certa sunt quam quibus fidem habere possimus. Quid autem veteribus, quid recentioribus de hac re visum sit examinare hic neque libet neque oportet: dicere satis est, eam apud omnes fere valuisse sententiam qua tota historia Thucydidea, commentariis iam per belli tempus factis, post totius belli finem scripta esse existimatur.

Plane aliter rem sese habere Franciscus Wolffgangius Ullrichius commentatione ‚Beiträge zur erklärung des Thukydides' anno 1846 Hamburgi edita docere studuit: non unam, sed duas historiae esse partes statuit, quarum alteram usque ad medium fere librum quartum statim post Niciae pacem a Thucydide cum bellum iam finitum crederet scriptam, alteram, cum exortum deinde posterius bellum cum illo cohaerere vidisset et hoc quoque ut narraret a scribendo destitisset, post totius demum belli finem adiectam et absolutam esse contendit; inveniri enim in tribus primis libris ac priore quarti parte complures locos quos post annum 404 scriptos esse credere nequeamus.

Hanc novam sententiam impugnare et veterem illam defendere eodem fere tempore Classenius (in praefatione ad editionem priorem 1862 et alteram 1873, quam solam infra laudabo) et Cyprianus (*περὶ τῆς οἰκονομίας τοῦ Θουκυδίδου* in ephemeride Atheniensi *Φιλίστωρ* 1862 p. 193—200 et 385—404, 1863 p. 1—19) studuerunt. Quos secuti sunt Weltius (Ueber die abfassungszeit des Thukydideischen geschichtswerkes. Vitoduri 1869) Stahlius (in Fleckeisenii annall. 1863 p. 397 et in praefatione ad editionem 1873 p. XI sq.) Welzhoferus (Thukydides und sein geschichts-

p 29617

werk. Monachii 1878 p. 28 sqq.). Ullrichio autem plus minus adstipulati sunt Prellerus (in Museo Rhenano VI 1848 p. 352 sqq.) Poppo (De historia Thucydidea commentatio. Lipsiae 1856 p. 1—8) Ludwigius (in Classenianae editionis recensione annalibus gymnas. austriac. inserta 1864 p. 497 sqq.) Steupius (Quaestiones Thucydideae. Diss. Bonn. 1868) Cwiklinskius (Quaestiones de tempore quo Thucydides priorem historiae suae partem composuerit. Dissert. Berol. 1873) Leskius (Ueber die verschiedene abfassungszeit der teile der Thukydideischen geschichte etc. Progr. acad. equ. Lignic. 1875).[1]) Dolendum est Krügerum nusquam fuse de hac quaestione disputavisse qui quamquam quaedam Ullrichianae commentationis probavit, ut ex adnotationibus quibusdam ad editionem apparet, universe ei adversari videtur (cf. imprimis kritische analekten p. 64 adn.).

Utra igitur sententia magis probanda sit disserendum mihi proposui. Ne autem crimini mihi vertatur quod post tot tamque doctos viros ego iterum ad hanc quaestionem pertractandam accedam, eo commotum me esse fateor ut hoc facerem quod et Cypriani Weltiique argumentorum adhuc rationem habitam fere nullam vidi et biennium abhinc Cwiklinskius iis quae anno 1873 demonstravisse sibi visus est tanquam fundamento usus in posterioris quoque historiae Thucydideae partis compositionem inquisivit (in ephem. Hermes XII 1877 p. 23 sqq.). Haud igitur supervacaneum duxi, iterum de quaestione hac disserere ut, omnium qui de ea scripserunt virorum doctorum opiniones complexus, quantum in me esset ad solvendam eam conferrem.

Quo autem melius quae sibi voluerit Ullrichius perspiciatur eadem qua ille via ac ratione procedam, praetermissa tamen priore eius libri parte, qua belli viginti septem annorum tanquam unius notionem Thucydidis propriam fuisse ostendere conatur, de qua cum adversarii tacuerint ne ego quidem habeo cur eam defendam.

Atque primum quidem alterius libri initium[2]) *Ἄρχεται*

---

[1]) Leskii, qui fere mecum consentit, commentationem cognovi, cum haec dissertatio iam finita paene erat; paucis igitur locis eius rationem habui. — Schunckii libellus quem commemorat Steupius p. 2 adn. praesto mihi non fuit. — Wentzkii autem commentatio ‚Quaestt. Thucc.' Culmae 1854 quam legi parum idonea ad sententiam Ullrichii refellendam est quippe quam eius libelli ignarus scripserit auctor.

[2]) Ad paragaphos citandas utor editione Classeniana.

δὲ ὁ πόλεμος ἐνθένδε ἤδη Ἀθηναίων καὶ Πελοποννησίων καὶ τῶν ἑκατέροις ξυμμάχων, ἐν ᾧ οὔτε ἐπεμίγνυντο ἔτι ἀκηρυκτεὶ παρ' ἀλλήλους καταστάντες τε ξυνεχῶς ἐπολέμουν de toto viginti septem annorum bello dici potuisse negat Ullrichius (p. 65—70): hoc enim octo vel sex annorum et quattuor (ut vult ille, qua de re cf. p. 153 sqq.) mensium spatio esse interruptum; eo minus his verbis totum bellum Peloponnesiacum significari posse quod verbis V 24, 2 ὁ πρῶτος πόλεμος ξυνεχῶς γενόμενος et VI 26, 2 τοῦ ξυνεχοῦς πολέμου primum tantum bellum a Plataeis per dolum captis usque ad Niciae pacem gestum significetur; verbo autem ξυνεχῶς iuxta καταστάντες (‚nachdem sie einmal bestimmt angefangen') posito bellum et ab inimicitiis praecedentibus I 146 quibus ‚ἐπεμίγνυντο ἔτι ἀκηρυκτεὶ παρ' ἀλλήλους' distingui et certo quodam signo, quo a bellis antea non continenter gestis, ut Troico I 11 et Persico I 23 differat, describi. Classenius autem (p. XXXV sq.) verbum ξυνεχῶς ad ultima libri primi verba referri cum Ullrichio concedat, ad totum bellum pertinere negat; initium enim alterius libri cum fine primi ita arte cohaerere ut ὁ πόλεμος tantum τῇ προφάσει τοῦ πολεμεῖν I 146 opponatur et ἐν ᾧ non ut pronomen relativum ad ὁ πόλεμος sed ut coniunctionem condicionis (‚coniunction der umstände') ad ἐνθένδε ἤδη referenda[3]) atque ‚quo rerum statu' interpretanda esse dicit, ut verbis insequentibus non iam totum bellum, sed qualis fuerit cum primum bellum exarserit rerum status eodem modo describatur quo verbis καταστάντες τε ξυνεχῶς ἐπολέμουν nisi incertam ab anno 434 usque ad annum 432 rerum condicionem tandem desiisse nihil significari et verbis V 24,2 ταῦτα δὲ τὰ δέκα ἔτη ὁ πρῶτος πόλεμος ξυνεχῶς γενόμενος primum bellum paci incertae insequenti opponi statuit.[4]) Sed quid haec ad Ullrichii sententiam refutandam? Num, si quae Classenius eadem voluisset Thucydides, de toto viginti septem

[3]) Aliud in praefatione, aliud in adnotatione ad h. l. profert Cl: in hac enim ἐν ᾧ neque ad ὁ πόλεμος neque ad ἐνθένδε, sed ad totum enuntiatum referendum dicit, ad quem Thucydidis dicendi usum inlustrandum I 39, 3. 42,2. 122,1 adfert, omissis quos p. XXXVI laudaverat locis; hos enim huc non quadrare (cf. Ludwigium p. 802) ipsum postea vidisse veri est simile.

[4]) Cur VI 26,2 verba ξυνεχὴς πόλεμος tantum lamentationem (‚unablässig') exprimant; equidem non video; ceterum Cl. ipse in adn. ad h. l. ita vertit ‚der 10 jare ununterbrochen gedauert hatte' neque ullam querimoniae mentionem facit.

annorum bello cogitaverit necesse est? nonne eadem de primo tantum bello dicere potuit? Ceterum rectissime Ludwigius (p. 802) — quamquam iniuria certe oppositionem illam in *ξυνεχῶς*[5]) positam negat — monet verbo *ἄρχεται* primo loco posito alterum cum primo libro non solum non arte cohaerere sed de industria orationem hic interruptam esse demonstrari, quasi dicatur ‚initium belli'; sin autem Classenii verborum *ὁ πόλεμος* et *πρόφασις* oppositio recta esset, ‚*ὁ δὲ πόλεμος ἄρχεται*' dicendum fuisse. Recte haec quidem, namque cum oppositio fit, ea quae opponuntur sibi verba particula *δὲ* distincte opponi solent. Quod autem Classenius in adn. ad h. l. *ἐνθένδε* non nostra significatione ‚hier' (i. e. ibi quo scriptor iam pervenit) sed ‚von folgendem ereignis' accipit, ut et *ἐν ᾧ* inde pendeat et *γὰρ* c[is] 2 eo referendum sit: solet quidem *ἐνθένδε* (ut omnia vocabula cum *δὲ* demonstrativo coniuncta) ita inveniri ut rem insequentem digito quasi monstret, hic autem usus minime opus est; deinde particula *γὰρ* non ad *ἐνθένδε* sed ad *ἄρχεται* spectat (cf. Krügerum ad h. l.); denique ‚quod est summum, cum imperfectis *ἐπεμίγνυντο* et *ἐπολέμουν* utatur Thucydides, quae fuerint per belli tempus inter utramque partem rationes eum significare patet, sin autem, ut vult ille, enuntiatione *ἐν ᾧ . . . ἐπολέμουν* tantum qualis ortus sit ineunte bello rerum condicio exponere voluisset, aoristis ei utendum fuit (cf. Krügeri gramm. § 53, 2 et 5).

Iam vero Weltius (p. 17 sqq.) verbum *ξυνεχῶς* ad I 146 spectare negat, quod et bellum cum pace conferre mirum sit: id solum cum alio bello comparari posse, et verbis *αἰτίαι καὶ διαφοραὶ πρὸ τοῦ πολέμου* non certamina de Corcyra et Potidaea coorta, sed discordiae propter Atheniensium in dies crescentem potentiam inter eos et Lacedaemonios natae significentur: alioqui enim eas in fine capitis *πρόφασις τοῦ πολεμεῖν* appellari non potuisse. Sed tempus illud belli initium praecedens nomine quidem pacem, re autem bellum iam fuisse et pugna ad Sybota commissa et Potidaea oppu-

---

[5]) Quod ne in decem quidem annorum bellum *ξυνεχῶς* quadrare dicit Ludw., cum et ipsum unius anni indutiis interruptum fuerit, dicendum est, iniisse quidem mense Martio anni 423 Lacedaemonios et Athenienses *ἐκεχειρίαν* IV 117; hae autem indutiae ut pacem aequarent tantum abfuisse ut de Mende et Scione quae urbes in Pallene peninsula sitae ab Atheniensibus ad Lacedaemonios defecerant (IV 122. 123) armis certaretur (c. 129—131).

gnata confirmatur; hasce autem dimicationes scriptorem verbis *αἰτίαι καὶ διαφοραὶ πρὸ τοῦ πολέμου* significare voluisse quidquid dicit Weltius perspicuum est: neque enim ignoro equidem, verbum *πρόφασις* ita a Thucydide opponi soleri *ταῖς αἰτίαις*, ut illo vera, hoc praetexta causa designetur (cf. I, 23,5. VI 6 quibus duobus locis ad vim vocis *πρόφασις* augendam accedit etiam *ἀληθεστάτη* I 118,1. 133,1. 141,1. II 49,2. III 9,2);[6]) hic autem de Corcyraeis et Potidaicis discriminibus dictum esse ex eo patet quod et I 146 *αἰτίαι καὶ διαφοραὶ* spectant ad I 23,4 *τὰς αἰτίας προύγραψα πρῶτον καὶ τὰς διαφοράς* quibus ad significanda ea usus est scriptor et quod ea ipsa, non Lacedaemoniorum et sociorum potentiae Atheniensium nimiae odium et invidiam, *σπονδῶν ξύγχυσις* appellat; accedit quod ipse ait: *αἰτίαι . . . καὶ διαφοραὶ . . . ἀρξάμεναι εὐθὺς ἀπὸ τῶν ἐν Ἐπιδάμνῳ καὶ Κερκύρᾳ*. Quae autem deinde a Weltio disputantur plus pro Ullrichio demonstrant quam contra eum. Quamquam enim iure eum (atque addo: etiam Classenium) reprehendit quod (p. 66) verbis V 24 et IV 26 bellum Archidamicum a pace insequenti discerni vult, ipse *ξυνεχῶς* et *ἀκηρυκτεὶ* de toto viginti septem annorum bello eo minus praedicari posse contendit, quod huic opinioni V 35,2 *καὶ τὸ θέρος τοῦτο* (i. e. 421) *πᾶν ἐπιμιξίαι μὲν ἦσαν τοῖς Ἀθηναίοις καὶ Πελοποννησίοις* obstent, ex quo effici, Thucydidem a primo scribendi initio prius bellum decem annorum a toto voce *ξυνεχὴς* distinguere voluisse. Tum autem — quod eum non fugit — verba *ὅδε ὁ πόλεμος* ubicumque in quattuor primis libris occurrunt de priore tantum bello — quod vult Ullrichius — intellegenda sunt. Sed cum Weltio mira videatur eius opinio, qua auctorem, cum descriptis post Niciae pacem primis septem belli annis post Athenas expugnatas tres posteriores adderet, isdem semper verbis usum esse arbitratur, totius belli finiti ratione habita nulla, contendit, Thucydidem cum primum ad scribendum adiisset totum iam bellum cognovisse et hanc ipsam ob causam undecimum annum nullo discrimine decem primis adnumeravisse; non autem prius hoc explicare voluisse quam V 25/26 occasio

---

[6]) Simulatae autem causae significatione invenitur I 126,1. II 87,9. III 86,4. Ceterum de discriminine quod inter *αἰτία, πρόφασις, ἀρχή* interest et quo Polybius potissimum, mutata ille quidem significatione Thucydidea utitur cf. Welzhoferum p. 124 sq.

se praeberet ut iam, hac explicatione data, prius bellum, verbis II 1,1 et V 24,2 satis notatum, totius belli priorem partem esse unusquisque videret. Aliter mihi res sese habere videtur. Etenim si ab exordio Thucydides viginti septem annorum bellum scribere sibi proposuisset, dubitari non potest quin quam ipse haberet de toto bello opinionem (constat enim aequales aliter de eo cogitavisse cf. Ullr. p. 7 sqq.) in primo prooemio exposuisset (de qua re fusius postea disputabo). Ante hanc expositionem V 25/26 incommodi aliquid et miri habere ipse sentit Weltius undecimi anni commemorationem: ‚allerdings in einer harten auffälligen weise' (p. 20) et paulo post: ‚in dieser stelle tritt am stärksten eine gewisse unbeholfenheit hervor, die der ganzen weise anhaftet, wie Thukydides seinen, einer einheitlichen behandlung widerstrebenden stoff dennoch zu einer ökonomisch einheitlichen form zu gestalten sucht': rem videt, causam non videt, illa enim difficultas inde orta est, quod primum tantum decem annorum bellum scribendum auctor sibi proposuit. Consilio autem postea mutato cum post Lysandri pacem ad scribendum reverteretur, non statim medio libro quarto dicere potuit, deinde se bellum quod narraret *τὸν πρῶτον πόλεμον* appellaturum esse, sed hoc, verbis *ὅδε ὁ πόλεμος* eadem semper significatione usus, primum ad finem perduxit et tum demum, incisione quadam ultro se praebente, de ‚priore' bello et ‚undecimo' anno (V 20,3 et 24,2) dixit, cum statim post lectoribus suam de tribus belli partibus opinionem (quam antea non habuerat) exponere ei liceret. Haec ad refellendum Weltium sufficiunt, si cum Ullrichio prioris operis finem IV 48 statuimus; hac autem argumentatione non opus est, si, quod quibusdam ex causis veri similius esse infra videbimus, bellum Archidamicum iam ante annum 414 summatim ad finem perductum existimamus. Nullis igitur rationibus adduci possumus ut libri alterius initium post annum 404 scriptum esse concedamus.

De loco II 9, quem in addendis p. VII ad corroborandam sententiam suam adfert nemo disputavit nisi Steupius (p. 10 sq.) et Cyprianus (p. 6) quorum uterque, idque iure, ex hoc loco effici quicquam posse negat. Ut contendit Ullrichius, in enumeratione sociorum Lacedaemoniorum et Atheniensium, si ad totum bellum referenda esset, Thucydidi et Eleos a Lacedaemoniis anno 421 defecisse et Argi-

vos ab anno 417 usque ad finem belli ab Atheniensibus stetisse dicendum fuisset; est quidem illa enumeratio brevissima, accuratam autem eam esse voluisse scriptorem inde patet quod mutati Achaeorum consilii mentionem facit (*Πελληνῆς δὲ Ἀχαίων μόνοι ξυνεπολέμουν τὸ πρῶτον, ἔπειτα δὲ ὕστερον καὶ ἅπαντες*).[7]) Quibus haec respondet Steupius: ut ex verbis *πόλεις δ' ἑκάτεροι τάσδ' ἔχοντες ξυμμάχους ἐς τὸν πόλεμον καθίσταντο* apparet, Thucydides hoc loco nihil aliud quam exponit quae civitates cum Lacedaemoniis, quae cum Atheniensibus eo tempore societatem habuerint quo bellum ortum sit. Achaeorum autem consiliorum postea mutatorum iam hoc loco mentionem fecit quia utique ei commemorandum fuit Pellenenses initio belli a Lacedaemoniorum partibus stetisse et quia, ut ex II 83. 84. 86,1. 87,4 apparet, certe iam tertio belli anno universi Achaei cum Lacedaemoniis fecerunt.[8]) Eadem fere Cyprianus vult. Accedit quod ne in decem quidem annorum bellum plane quadrat sociorum enumeratio: Lesbii enim postquam anno 428 III 2, 1 ab Atheniensibus defecerunt et III 15, 1 a Lacedaemoniis in societatem recepti sunt acerbissimos semper priorum sociorum hostes se praebuerunt. Iniuria autem Plataeenses quoque contra Ullrichium adfert Cyprianus: hi enim urbe anno 427 expugnata et diruta maximam partem caesi sunt neque amplius quaeri poterat utrum socii Atheniensium essent necne.

Thucydides postquam II 54, 2. 3 peste anni 430 descripta Athenienses tum duplici calamitate, et morbo et hostium invasione, oppressos fuisse dixit, narrat fuisse qui versus cuiusdam antiqui meminerint ‚*ἥξει Δωριακὸς πόλεμος καὶ λοιμὸς ἅμ' αὐτῷ*'; certatum esse utrum *λοιμὸς* an *λιμὸς* in vaticinio fuerit, vicisse tamen in praesentia *λοιμοῦ* interpretationem. Huc addit: *ἦν δέ γε οἶμαί ποτε ἄλλος πόλεμος καταλάβῃ Δωριακὸς τοῦδε ὕστερος καὶ ξυμβῇ γενέσθαι λιμόν, κατὰ τὸ εἰκὸς οὕτως ᾄσονται.* Cum autem bellum Deceleicum revera fame acerbissima ad finem perductum sit, Ullrichius auctorem hunc locum post expugnatas Athenas scribere potuisse negat. Recte haec quidem, nam si, cum hunc locum scriberet, Athenienses imprimis fame ad urbem tradendam coactos

---

[7]) De sociis Italicis et Siciliensibus infra (ad III 86, 2) nobis disputandam erit.

[8]) Eandem ob causam Classenius in adn. ad II 9, 2 *ὕστερον καὶ ἅπαντες* iniuria ad annum 417 refert.

esse iam scivisset, haud dubium est quin accurate et perspicue de ea re dicturus fuerit. Quae autem deinde ad defendendam sententiam suam adfert Ullrichius neque ullam vim habere neque, cum prius illud argumentum per se satis grave sit, opus esse opinor. Negat enim et de inopia sterilitate terrae adducta hic cogitandum esse et post exitum totius belli Peloponnesiaci Thucydidem de alio bello Dorico cogitare potuisse. Hoc iure (quidquid dicit Cwiklinskius p. 14, cuius reliquae de hoc loco argumentationi fere adstipulor) refellit Classenius (p. XXXVII sq.): iam enim anno 394, decem annorum spatio vix interiecto, bellum Corinthiacum exarsit ad quod Athenienses sex milia militum gravis armaturae paraverunt. De priore autem Ullrichii argumento plane praeter necessitatem Classenius et qui eum sequitur Weltius (p. 21) certant: de fame cuius sterilitas terrae causa sit hic non cogitari non posse, sicut enim pestem auxilium Lacedaemoniis ab Apolline latum, ita famem non bello effectam sed simul cum eo (*ἅμ᾽ αὐτῷ*) divinitus missam intellegendam esse. Cur haec et quid sibi volunt? Quid enim discriminis intercedat inter pestem vel famem a diis datam et eam quae bello efficitur equidem non video atque recte Ludwigius (p. 803) monet, auctorem, si verum esse illud oraculum novisset, non ita subtiliter inter *ἀπὸ τοῦ πολέμου* et *ἅμα τῷ πολέμῳ* distincturum fuisse. Prorsus autem mira sunt quae Weltius in medium profert: fac, inquit, Ullrichium recte de hac re cogitare; sequitur Thucydidi, qui per omnes libros significatione *ὅδε ὁ πόλεμος* utatur, cum ad totius belli finem scribendum pervenerit, haec dicenda fuisse: *λιμὸν* quem II 24 *πολέμῳ τοῦδε ὑστέρῳ* fortasse venturum contendi, nunc, ultimo *τοῦδε τοῦ πολέμου* anno, venit. His obicio: cum quid dicturus fuerit si propositum ad finem perduxisset conici prorsus non possit, hoc tamen certum videtur, si ipsi librum edere licuisset, antea eum totam historiam denuo retractaturum et quaecunque singulis partibus discrepare inter se perspexisset mutaturum fuisse.

Insequentibus autem eiusdem capitis paragraphis eadem vis non est. Thucydides enim, cum, oraculi cuiusdam Lacedaemoniis ante exordium belli editi, victuros eos Apollinemque ipsum eis auxilium laturum esse, mentione facta, ita pergat: *περὶ μὲν οὖν τοῦ χρηστηρίου τὰ γιγνόμενα ᾔκαζον ὁμοῖα εἶναι*, haec verba post finem totius belli scribere non potuisse Ullrichio videtur; qui ita fere argumentatur (p. 72 sqq.):

multis ex locis elucet, scriptorem de omnibus vaticiniis liberius cogitasse quam aequales, imprimis multitudinem (cf. II 17,1. 21,3. 47,4. V 103,2); post Niciae pacem igitur hanc suam de oraculis opinionem edere potuit, cum aequo Marte ex dimicationibus discessum esset et vates falsa cecinisse viderentur, post Lysandri pacem, quamvis ipse opinionem non mutasset, non potuit: timendum ei erat ne oraculum cum eventu congruisse ei obicerent. Huic autem ratiocinationi cum Cwiklinskius (p. 14) adsentiatur Classenius (p. XXXVIII) recte opponit, auctorem nihil hic nisi quae fuerit anno 430 Athenarum condicio quidque civium metuerint animi exponere neque quicquam interesse utrum post decem an viginti septem annorum bellum haec scripserit.[9]) Accedit quod (cf. Weltium p. 22) ne expugnatis quidem Athenis vaticinium illud ‚ἐχυρῶς' evenisse ei visum est, ut patet ex V 26,3 *καὶ τοῖς ἀπὸ χρησμῶν τι ἰσχυρασαμένοις μόνον δὴ τοῦτο ἐχυρῶς ξυμβάν.* Pro Ullrichio igitur nihil ex hoc loco efficitur; Thucydides enim, quod ex universo eius opere apparet, vir fuit sibi constans qui quae semel sibi persuasit haud ita facile vel mutavit vel celavit atque, etiamsi belli eventus vaticinium comprobare visus esset, nulla multitudinis ratione habita scripsisset.

Nec maioris momenti sunt quae disserit Ullrichius de libri II c^e^ 8. quo Thucydides summae utriusque partis in initio belli contentionis causam adfert hanc: *ἀρχόμενοι γὰρ πάντες ὀξύτερον ἀντιλαμβάνονται.* Contendit Ullrichius, cadere haec verba in finem belli Archidamici, quo utrimque cladibus acceptis animisque demissis certatum sit, Deceleico autem bello Lacedaemonios tantum impetum tantamque incontinentiam, Athenienses tantam vim ac constantiam praebuisse ut de virium defectione dici non posset. Rectius autem quam Classenius (p. XXXIX) qui sicut ceteri non initium belli cum toto eius decursu sed cum eo tantum tempore hic

9) Mirandum est Classenium hoc loco liberiorem Thucydidis de oraculis sententiam omnino non videre, cum et in hisce verbis et in eis quae de *λοιμὸς* et *λιμὸς* legimus magnam profecto ironiam inesse perspicuum sit. Ipse tamen sibi non constat, nam in adn. ad h. l. haec dicit: ‚es liegt darin die andeutung: wer also will, mag die wirkungen des den Doriern freundlichen gottes erkennen.' Qui autem, quaero, verba artissime cum iis coniuncta *ἔπειτα δὲ καὶ τῶν ἄλλων χωρίων τὰ πολυανθρωπότατα* nihil esse dicere potest nisi ‚ein zusatz aus lediglich historischem interesse'? Contra ad oraculum referenda sunt, cum Thucydidis omnia ex rerum natura explicandi studium demonstrent. cf. Ullr. p. 75.

comparari vult quo haud ita multo post vires aliquantum defecerint, Weltius Ullrichio opponit (p. 22) varia belli tempora omnino non conferri, sed in universum dici, omnes initio rem celerius aggredi. Veram hanc interpretationem esse inde patet quod praesente utitur scriptor *ἀντιλαμβάνονται*, etenim si eadem voluisset atque Ullrichius vel Classenius aoristo ei utendum fuit *ἀντελάβοντο*. Adde quod comparativo non oppositum est *ἢ ὕστερον* sed eodem modo hic intellegendus est quo etiam latine saepe ponitur, nimium vel solito maiorem modum significans (ut VIII 84, 2 *αὐθαδέστερον* adiecto etiam verbo *τι*) et vertitur germanice: etwas, zimlich. Ego igitur hunc locum interpretor: omnes enim initio paulo acrius (i. e. zimlich scharf) ad rem accedunt. Quam eandem ob causam non opus erat Cyprianum demonstrare (p. 6) comparationem in ultimam belli partem cadere, quia, quod appareat ex Diodori Siculi historia XIII 52, Lacedaemonii bis, primum post pugnam Cyzicenam, deinde post Arginussensem Athenas miserint qui de pace agerent. Nec certius quiquam evincitur iis quae (p. 12) de verbis insequentibus *τότε δὲ καὶ νεότης πολλὴ μὲν οὖσα ἐν τῇ Πελοποννήσῳ, πολλὴ δ' ἐν ταῖς Ἀθήναις* dicit: *τότε* tempori cuidam belli Deceleici oppositum esse, cum decem primis belli annis Peloponnesiaci quidem nec pestilentia nec proeliis graviter imminuti sint; recte enim Classenius in adn. ad h. l. *τότε* verbo *πάντες* quod de omnibus temporibus dictum sit opponit.

Felicius autem, quamquam praeter Ludwigium omnes ei adversantur, Ullrichius de duobus locis disseruit quorum altero II 57,2 Thucydides de secunda Peloponnesiorum in Atticam inruptione ait: *τῇ δὲ ἐσβολῇ ταύτῃ πλεῖστόν τε χρόνον ἔμειναν καὶ τὴν γῆν πᾶσαν ἔτεμον· ἡμέρας γὰρ τεσσαράκοντα μάλιστα ἐν τῇ γῇ τῇ Ἀττικῇ ἐγένοντο*, altero III 26,3 de quarta: *καὶ ἡ ἐσβολὴ αὕτη χαλεπωτάτη ἐγένετο τοῖς Ἀθηναίοις μετὰ τὴν δευτέραν*. Haec cum scriberet auctor, ut recte opinatur Ullrichius (p. 81), incursionem anno 413 factam nondum cognovit: aliter hic commemoranda ea fuit, nam et ipsam *ἐσβολὴν* appellat VII 18,1 (bis) 19,1 atque, etiamsi quam diuturna fuerit aperte nobis nusquam dicit, tamen praecedentibus multo longiorem eam fuisse inde patet quod ad Deceleam muniendam plus certe temporis opus fuit quam ad Plataeas circumvallandas, quam in rem septuaginta dies impensi sunt (II 75,3). Cui argumentationi haec fere op-

ponit Classenius (p. XXXIX sq.): incursio illa anni 413 neque *ἐσβολαῖς* adnumeranda est neque usquam a Thucydide ita appellatur, sed *ἐπιτείχισις* (VII 91,7. 93,2) vel *ἐπιτειχισμός* (VII 18,4. 28,3); *ἐσβολὴ* autem de qua paranda VII 18,1 dicitur nihil aliud est quam hostium ingressus et terrae vastatio, itaque initium tantum *ἐπιτειχισμοῦ* qui verbis *ξυνεχῶς ἐπικαθῆσθαι* VII 27,4 definitur atque ab *ἐσβολαῖς πρότερον βραχείαις γιγνομέναις* plane distinguitur. Sed dicendum est, hoc loco non verbum *ἐπικαθῆσθαι* opponi *ἐσβολαῖς*, sed *ξυνεχῶς* verbis *βραχεῖαι γιγνόμεναι*, ut superiores incursiones ‚*βραχεῖαι γιγνόμεναι*' ab ultima hac ‚*ξυνεχεῖ γενομένῃ*' discernantur, inde autem quod *πρότερον μὲν βραχεῖαι γιγνόμεναι αἱ ἐσβολαὶ* conferuntur cum hac — sive *ἐπιτείχισις* sive *ἐπιτειχισμὸς* appellas — invasione, manifestissime evinci Thucydidem ipsum eam *ταῖς ἐσβολαῖς* adnumerare atque Classenium, cum ab *ἐσβολῆς* natura *τὸ ἐπικαθῆσθαι* abhorrere contendat, eo refelli quod de prima quoque invasione anni 431 dicitur *καὶ καθεζόμενοι ἔτεμνον* et *καὶ καθεζόμενοι ἐς αὐτὸν* (scil. *τὸν χῶρον*) *στρατοπεδόν τε ἐποιήσαντο χρόνον τε πολὺν ἐμμείναντες* II 19,2 (et sic de omnibus deinceps inruptionibus II 47,5. III 1,1 IV 2,2 excepta quarta III 26,3). Ceterum Ludwigio adsentior qui (p. 603) appellari quidem *ἐσβολὴν* ab inrumpendo exponit, complecti autem hanc vocem, ut sexcenties, omnia quae inde sequuntur, sive terrae vastantur sive castra ponuntur sive urbs munitur.[10]) Classenium autem si in definienda huius vocis vi sibi constitisset ne de depopulatione quidem cogitare debuisse.

Sententiae suae praesidium haud spernendum sumpsisse sibi videtur Classenius (p. XL.) ex verbis II 13,7 *τοσοῦτοι γὰρ ἐφύλασσον τὸ πρῶτον ὁπότε οἱ πολέμιοι ἐσβάλοιεν*, ubi *τὸ πρῶτον* tempori cuidam belli Archidamici opponi posse negat, cum universum hoc verbis *ὁπότε ἐσβάλοιεν* comprehensum Deceleico, quo non amplius *ἐσβολαὶ* factae sint opponatur. Recte autem cum iam Ludwigius Steupius Cwiklinskius observaverint neque eum sibi constare si prioris belli *ἐσβολὰς* cum posterioris *ἐπιτειχισμῷ* conferat, quod fieri posse supra negaverat, neque quatenus verborum *τὸ πρῶτον* vis pertineat

10) Liceat ad hanc interpretationem confirmandam exemplo ex recentissima historia sumpto uti: belli quod anno 1870 inter Germanos ac Francogallos exarsit non solum initium, i. e. copiarum in hostium terram introitus, sed etiam totus decursus usque ad pacem semper a Francogallis ‚Germanorum invasio' nuncupatur.

patere, cum iam post alteram vel tertiam incursionem minus sedecim milia militum gravis armaturae in custodia fuisse veri sit simile, mihi restat ut aliis duobus locis quibus eandem significationem verbis *τὸ πρῶτον* tribuit Classenius hanc vim non esse ostendam. Ac de priore quidem II 9,2 *Πελληνῆς δὲ Ἀχαίων μόνοι ξυνεπολέμουν τὸ πρῶτον, ἔπειτα δὲ ὕστερον καὶ ἅπαντες* iam supra dixi et falso haec verba a viro illo docto ad annum 417 referri exposui. Cur autem III 17,4 *τὰ μὲν οὖν χρήματα οὕτως ὑπαναλώθη τὸ πρῶτον* tantum posteriori bello, imprimis expeditioni Siciliensi opposita esse accipienda sint equidem non intellego; etenim cum ex Niciae verbis VI, 12,1 *καὶ μεμνῆσθαι χρὴ ἡμᾶς ὅτι νεωστὶ . . λελωφήκαμεν, ὥστε καὶ χρήμασι καὶ τοῖς σώμασι ηὐξῆσθαι* et VI 26,2 *ἄρτι δ' ἀνειλήφει ἡ πόλις ἑαυτὴν . . . ἐς χρημάτων ἄθροισιν διὰ τὴν ἐκεχειρίαν* appareat, aerarium inter pacem repletum esse, iam priore bello magno opere — neque ea tantum de causa quod classis instruenda copiisque stipendium praebendum anno 428 erat — exhaustum sit necesse est. Neque hoc mirum; ut enim alia praetermittam, Amphipolitarum defectionis mentionem facio qua *τοὺς Ἀθηναίους ἐς μέγα δέος καταστῆσαι* dicit Thucydides *ἄλλως τε καὶ ὅτι ἡ πόλις αὐτοῖς ἦν ὠφέλιμος ξύλων τε ναυπηγησίμων πομπῇ καὶ χρημάτων προσόδῳ κτέ.* IV 108,1. Mirum autem in modum ad confirmandam illam verborum *τὸ πρῶτον* significationem Cyprianus (p. 13 cf. p. 8) III 86,2 laudat: qui quaeso hic, adiectis etiam *ἀρχομένου τοῦ πολέμου* ita intellegi possunt? Quae enim sibi voluerit auctor cum diceret ‚urbes Doricae Siciliae per totum bellum prius **initio belli** in Lacedaemoniorum sociorum numero relati sunt' equidem prorsus ignorare me confiteor.

Iam videamus quomodo Weltius rem expediat. Atque primum quidem firmissimum Classenianae sententiae documentum adfert nomen ‚belli Deceleici.' At constat Thucydidem hoc nomine nusquam usum esse, verbis autem *ὁ ἐκ τῆς Δεκελείας πόλεμος* VII 27,2 nihil significavisse nisi continuas exercitus Peloponnesiaci incursiones ex urbe munita in Atticam factas cf. Ullr. p. 12 adn. 13. Tum reprehendit Ullrichium quod praeter perpetuum Deceleae praesidium[11])

[11]) Paulo post arbitratur, praesidium Deceleae impositum non eodem semper numero fuisse. Verbis autem *τῆς ἴσης φρουρᾶς καταθεούσης* sive cum scholiasta interpretaris ‚*τῆς τεταγμένης*' i. e. quod ibi esse solebat

saepius vere Peloponnesios in Atticam inruisse et autumno abiisse, primo autem anno diutius ad munimenta exstruenda mansisse opinatur. At ex verbis VII 27,4 *ὁτὲ μὲν καὶ πλεόνων ἐπιόντων ὁτέ δ' ἐξ ἀνάγκης τῆς ἴσης φρουρᾶς καταθεούσας τὴν χώραν* perspicue apparet, maiores copias ex Peloponneso interdum advenisse neque quicquam interest utrum vere hoc an alio anni tempore evenerit; praeterea Ullrichio hoc adminiculo non opus erat, nam demonstrare vult, invasionem anni 413 per se ipsam omnibus quae praecessissent longinquiorem fuisse cum et hostium ingressum et agrorum depopulationem et Deceleae munitionem complexa esset. Denique Weltius — quae enim alia adfert vel iam supra refutata vel non magni momenti sunt — contendit quantum tempus in Decelea munienda collocatum sit ex comparatione cum Plataearum circumvallatione erui non posse: ibi enim Peloponnesios magno opere turbatos et impeditos esse; ad contrarium autem demonstrandum adferri posse quod Pylos sex tantum diebus munita sit. At Deceleam munituros turbatos omnino non esse concedi non potest, sed, quamquam Thucydides hac de re tacet, Atheniensium equites ut priore bello (III 1,5: *ὡς εἰώθεσαν* cf. VII 27,5) eos vexavisse atque ne opus celeriter ad finem perducerent impedivisse veri est simillimum. Plataeensium autem impedimenta Peloponnesiis haud ita multum nocuerunt; muri enim foramine unde aggeris terram egerebant (II 75) mox animadverso, cum cuniculo ex urbe sub aggerem acto per tempus quoddam rursus terram subtraxissent ipsi ut multum proficerent veriti obstruere destiterunt (II 76). In Pylo autem munienda multo minores etiam difficultates se praebuerunt: namque et Messenii ita amici erant Atheniensibus ut nullo modo iis officerent et locus maiore ex parte natura iam munitus muro tantum qua in continentem vergit egebat et milites ultro cupidine inflammati vallo exstruendo inter se certabant (IV 4 et 5).

In duobus qui insequuntur locis ne Ullrichius quidem documentum positum esse dicit. Ac de priore II 34,7 ubi

---

(die ordentliche, gewönliche: Krüg. ad h l.) sive cum Aemilio Porto ‚*τῆς ἐχούσης ἴσον στρατιωτῶν ἀριθμόν, τῆς ἐκ τοῦ αὐτοῦ πλήθους ἀεὶ ξυνεστώσης*', numerum semper parem fuisse efficitur. Reiciendum enim est quod Krügerus (Haasium secutus) *τῆς ἴσης* cum *ἀνάγκης* coniungens verti posse dicit: indem mit gleicher bedrängnis (für die Athener nur) eine besatzungsschar einfiel. cf. Popponem ad h. l.

eorum qui pro patria occiderant sepeliendorum moris expositio ita conduditur *ὧδε μὲν θάπτουσι· καὶ διὰ παντὸς τοῦ πολέμου, ὁπότε ξυμβαίη αὐτοῖς, ἐχρῶντο τῷ νόμῳ* et quaeritur utrum *διὰ παντὸς τοῦ πολέμου* ad bellum decem an viginti septem annorum referendum sit, nihil habeo quod Steupii (p. 15) verbis addam.

De altero autem loco pauca verba faciam. II 48,3 pestem in Atticam ingruisse et Peloponnesios Piraeei puteos veneno, ut fama fuerit, imbuisse Thucydides narrat: *κρῆναι γάρ,* inquit, *οὔπω ἦσαν αὐτόθι.* Haec igitur verba cum scriberentur aquae ductus iam in Piraeeo fuisse necesse est atque ex fragmento comoediae Phrynichianae a scholiasta ad Aristophanis aves v. 997 adscripto coniecit Ullrichius (p. 87) coniecturamque plerisque quod sciam viris doctis comprobavit, exstructum esse aquae ductum a Metone geometra inlustrissimo anno 414; utrum autem verba *κρῆναι γὰρ οὔπω ἦσαν αὐτόθι* statim post eam aedificationem an post finem totius belli scripta sint erui non posse. Quam postremam sententiam ut magis consentaneam defendenti Classenio (p. XLVIII) iure Steupius (p. 16) obicit, Thucydidem, cum non solis Atheniensibus scripserit, iam anno 414 ita scribere potuisse, non veritum ne rei omnibus notae mentionem faceret. Tamen tota haec quaestio supervacanea est cum ‚neque ubi Meto anno 414 aquarum ductum aedificaverit constet neque ante annum 414 nullum aquarum ductum in Piraeeo esse aedificatum certo sciamus' (Steupius l. l.) et magis etiam in incerto haeremus, si cum Prellero *κρήνας* interpretamur: ‚quellengebäude, wo der natürliche quell durch überbau und künstlich gefasste mündung gegen aussen geschützt wurde' qua constructione fons ab omni veneno tutus fuerit: eiusmodi enim putei quando in Piraeeo facti sint ne vestigio quidem indagare possumus. Sed fac Ullrichium recte coniecisse: sequitur ut Thucydides aut librum alterum anno 414 demum conscripserit aut verba illa cum finito toto septem et viginti annorum bello opus retractaret inseruerit. Illud autem quominus statuamus obstat quod scriptor, si anno 414 etiam in prima alterius libri parte conscribenda haesisset, unius anni spatio usque ad medium librum quartum, ut vult Ullrichius, pervenisse vix putandus est. Quidni enim statim post pacem Nicia auctore factam ad historiam scribendam eum agressum esse putemus? in uno autem et dimidio libro perficiendo septem

annos eum consumpisisse vix est credibile. Quare Steupii sententia qua (p. 21 sqq.) eum in scribendo perrexisse vult quoad anno 409 vel 408 prioris belli historiam perfecit (quamvis cum ad hunc locum tum ad IV 48,5 de quo infra videbimus intellegendum ansam percommodam praebere videatur) reiecta auctorem librum alterum anno 418 vel 417 composuisse, verba autem illa *χρῆναι γὰρ οὔπω ἦσαν αὐτόθι* non anno 414 demum sed uno alterove anno ante inseruisse mihi quidem veri simile est, neque enim de aquarum ductu perfecto tantum hic cogitandum est, sed iam cum aedificatio incohabatur vel aliquantum progressum erat dici ita potuit. Quod si statuimus, non opus est cum Cwiklinskio (p. 32 sq.) cc. 48—51 tota post annum 404 inserta putare. De qua sententia, quamquam ab hoc loco alienum est, statim paucis quae mihi videantur dicam. Ac mihi quidem haec ita se habere non persuasit; verbo enim *αὐτοὺς* initio c^{is} 52 cunctos Athenienses intellegendos esse cum ei concedam, non ad ea quae praeceduut capita, quibus de aegrotis tantum dicatur, sed ad postrema c^{is} 47 verba *ὅσα τε πρὸς ἱεροῖς ἱκέτευσαν . . . πάντα ἀνωφελῆ ἦν τελευτῶντές τε αὐτῶν ἀπέστησαν ὑπὸ τοῦ κακοῦ νικώμενοι* id referendum esse nego, namque et his quoque aegroti designantur quibus secundum ea quae proxime antecedunt *οὔτε ἰατροὶ ἤρκουν . . . οὔτε ἄλλη ἀνθρωπεία τέχνη ὠδεμία* et Athenienses verbo illo *αὐτοὺς* satis significati sunt; unde autem praecipuum coniecturae suae praesidium sumpsisse sibi visus est, quod omissis etiam cc. 48—51 morbi brevis sed sufficiens quaedam effigies depingatur, magno opere eum fefellit: neque enim verbis c^{is} 47,3 et 4 de morbi natura, sed solum cur tam perniciosa eius vis tantusque mortuorum numerus fuerit exponitur, c^{e} 52 sq. autem cum nihil aliud nisi quantum in mores ac consuetudines saevierit pestis narretur, morbi ipsius naturae ac decursus descriptionem prorsus necessariam fuisse quis est quin intellegat? qua quod tam accuratam artis medicae notitiam praebuerit Thucydides non est cur eam, ut vult ille, post viginti quinque annorum studium conscriptam esse accipias, nam et *αὐτός τε νοσήσας καὶ αὐτὸς ἰδὼν ἄλλους πάσχοντας* (48,3) ad describendum morbum adiit et quo erat ingenii acumine decem annis haud dubie saepe occasione intellegentiae illius artis excolendae usus est. Nulla igitur ratione Cwiklinskius capita 48—51 postea inserta esse convicit.

Sed his iam relictis alia videamus atque ad eum locum transeamus quo manifestissime Ullrichius suam sententiam comprobari contendit. Quae enim anno 427 bello inter Syracusanos et Leontinos coorto III 86,2 de illorum sociis narrantur *ξύμμαχοι δὲ τοῖς Συρακοσίοις ἦσαν πλὴν Καμαριναίων αἱ ἄλλαι Δωρίδες πόλεις, αἵπερ καὶ πρὸς τὴν τῶν Λακεδαιμονίων τὸ πρῶτον ἀρχομένου τοῦ πολέμου ξυμμαχίαν ἐτάχθησαν, οὐ μέντοι ξυνεπολέμησάν γε*, vir ille doctissimus post finem totius belli scribi potuisse negat, cum bello et in Sicilia et in Ionia gesto Siculos Doricos fortiter Lacedaemonios adiuvisse constet; haec si iam novisset, auctorem certe ea verbis ‚iam' et ‚tum' accuratius definiturum fuisse. Sed recte exposuit Classenius aoristi tempus in enuntiatis relativis plusquamperfecti vim habere, ut verba illa vertenda sint ‚quae (i. e. urbes) initio belli in sociis numeratae erant, non autem (usque eo) cum iis dimicaverant'. Et rectius etiam certe et Cyprianus (p. 8 de cuius mira verborum *τὸ πρῶτον* interpretatione supra videas) et Poppo (p. 4) non *ἐς τόδε* vel aliud simile ad *ξυνεπολέμησαν* addi volunt, sed *τὸ πρῶτον* ut ad *ἐτάχθησαν* ita etiam ad hoc verbum referunt, qua constructione omnis difficultas tollitur. Quod autem Cwiklinskius (p. 11) contendit eum esse sententiarum nexum ut nullam eius enuntiati praeberet ansam nisi decem annorum belli ratione habita quippe quod ne post quintum quidem annum Italici et Sicilienses Graeci in bellum sint profecti, mihi videntur Dorici Siculi non demum Ionico bello, sed iam tum Lacedaemoniis auxilium tulisse (cf. Weltium p. 24) cum Syracusanos contra Leontinos et Athenienses adiuverunt, quamquam sane non vere socii appellari poterant: sed eos ne postea quidem eodem quo Corinthios et Boeotios iure ita nominari potuisse ipse docet Cwiklinskius (Hermes XII p. 43). Nec magis mihi persuasit Thucydidem, si II 65 iam ante III 86 scripsisset, non tam ambigue locuturum sed quo tempore desiissent bello abesse commemoraturum fuisse: contra quisquis cum Classenio caput illud non insertum putat contendere potest, ob eam ipsam causam quod II 65 iam de expeditione Siciliensi dictum sit hic non diligentius de ea scribere necesse fuisse. Sed vanae hae et incertae coniecturae: dubitari potest, num post finem belli Deceleici ea scribere potuerit Thucydides, aliter eum scripturum fuisse demonstrari non potest.

Nec certius quicquam verbis quae eiusdem capitis § 4

καὶ ἔπεμψαν οἱ Ἀθηναῖοι . . . πρόπειραν ποιούμενοι εἰ σφίσι δυνατὰ εἴη τὰ ἐν τῇ Σικελίᾳ πράγματα ὑποχείρια γενέσθαι evincitur, quamquam Cypriano ‚φανερωτάτη ἀπόδειξις' videntur, tum iam novisse Thucydidem expeditionem Siciliensem atque adeo Cwiklinskius (p. 36 cf. Hermes XII p. 34) ita ea comparata esse dicit ut scriptorem aut retractavisse hanc historiae suae partem aut non composuisse III 86 ante annum 414 veri simile sit. Tamen qui fuerit tum Athenis rerum status quaeque animorum ad summum quidque audendum inclinatio tibi fingas velim: Lesbiis qui ab Atheniensibus defecerant superatis ac punitis (III 27. 28. 49. 50), Minoa insula expugnata (51), Lacedaemoniorum denique in Corcyraeos vi infracta (70 sqq.) — num mirandum videtur Athenienses etiam in Sicilia belli fortunam periclitari ac, cum Peloponnesiorum socios impugnarent, eis ipsis gravissimum detrimentum adferre in animum induxisse, eodem autem tempore speravisse, ibi se rerum potituros esse? Negat quidem Leskius (p. 21) eo Thucydidem ut ita scriberet adduci potuisse. At, si fuit ista voluntas, nonne commemorare eam debuit? Quin etiam ita non de expeditione anni 415 hic cogitare cogimur ut isdem verbis auctorem uti potuisse contendam etiamsi nunquam postea Athenienses in Siciliam bellum intulissent; ad illam autem si spectavisset certe eum τότε ἤδη ad πρόπειραν ποιούμενοι adiecturum fuisse.

Iam vero ad confirmandam sententiam Ullrichianam plurimum valet quod insequenti capite III 87 Thucydides haec de pestilentia dicit: ὥστε Ἀθηναίων γε μὴ εἶναι ὅτι μᾶλλον ἐκάκωσε τὴν δύναμιν: constat enim et clades Siciliensi ac Deceleico bello acceptas et discordias civiles multo maiora detrimenta quam pestem Atheniensibus attulisse. Quae contra haec dicit Classenius (p. XLII) de iis tantum calamitatibus cogitandum esse quae, ut pestis, ad bellum etiam accesserint, recte iam redarguerunt Steupius[12]) (p. 8) et Leskius (p. 7); nec magis eum iuvat quod verbum δύναμις interpretatur ‚copias' (wehrkraft), minime enim gentium hac restrictiore significatione hic accipiendum est, sed idem est atque ‚potentia' (macht) quae potissimum sane exercitu nititur, non autem universa eo continetur. Quin etiam

[12]) Frustra hoc impugnat Classenius in appendice critica alterius editionis libri I p. 269.

haud scio an cum Cypriano (p. 8) de moribus quoque morbo illo atrocissimo depravatis ac corruptis hic cogitandum sit; Classenius autem eo sententiam suam corroborare non poterat, quippe quod extremis belli annis discordiae civiles magis etiam quam morbus ita mores perdiderint ac perverterint ut Atheniensium res publica ipsorum civium discidio magis quam hostium virtute corrueret. Quod autem Classeniana interpretatione usus Stahlius (in praef. ad edit. p. XII) cladem in Sicilia acceptam aliquanto pestilentia inferiorem fuisse docere studet, cum hac militum gravis armaturae perierint 4400, equites 300, reliquae multitudinis inexploratus numerus, illa tantum 5200 militum, equites 300: et oblitus est 500 illorum equitum et 30 sagittariorum qui (VI 94,4. 98,1) postea etiam in Siciliam advenerant et, cum reliqua multitudo non solum adolescentibus, ex quibus delectus fiebat, verum etiam maiorem certe partem senibus mulieribus infantibus constaret, eius numerus autem explorari iam non possit, totam hanc computationem parum certis fundamentis niti intellegere debebat.

Quem deinde laudat Ullrichius locum III 110 cum ne ipse quidem ullius momenti esse dicat praetermittamus. Quo diligentius de IV 48 disputandum est.

Eo capite Thucydides postquam seditionem Corcyrae anno 427 coortam et 425 finitam narravit haec addit: *καὶ ἡ στάσις πολλὴ γενομένη ἐτελεύτησεν ἐς τοῦτο, ὅσα γε κατὰ τὸν πόλεμον τόνδε· οὐ γὰρ ἔτι ἦν ὑπόλοιπον τῶν ἑτέρων ὅτι καὶ ἀξιόλογον*, verba autem *ὅσα γε κατὰ τὸν πόλεμον τόνδε* ut ait ille (p. 95 sqq.) si post totum bellum scripta essent, ad seditionem anni 374 de qua refert Diodorus Siculus XV 46. 49 spectarent, ad quem usque annum vixisse auctorem minime sit veri simile; quominus autem de bello viginti septem annorum dicta sint obstare quod anno 410 iam iterum in Corcyra bellum civile exarsisse ex Diodoro XIII 48 compertum habeamus; verba igitur illa non posse non ad bellum decem annorum referri, cum autem non ante annum 410 scribi potuerint, tum demum in reliquum caput iam antea scriptum inserta existimanda esse.[13]) Haec hacte-

[13]) Ullrichium non sibi constare cum illa verba p. 101 bello Deceleico magnam partem cognito nondum autem hoc quoque describere consilio capto, p. 135 post annum 404 inserta esse dicat, unus recte vidit Weltius, parum autem haec discrepantia in nostram quaestionem valet quam de qua disputemus.

nus Ullrichius. Primum autem videamus quid esset statuendum si de posteriore illa seditione Corcyraea non edocti essemus vel, quod idem fere est, si Diodorus falsa narrare hic demonstraretur. Quae si ita sunt, verba illa certe iam paulo post pacem anni 421 scribi poterant; sive autem tum, sive post annum 404 scripta sunt, intellegi non possunt nisi scriptorem, Corcyraeorum furoris memorem ac ne eiusmodi facinora nefanda mox iterum committerentur veritum ea dixisse cum Ludwigio (p. 804) putas, quod cur fieri posse neget Ullrichius (p. 95 adn. 117) equidem non video. Prorsus autem aliter res se habet si Diodorea narratio vera esse putanda est: hoc enim si fiat de priore tantum bello decem annorum hic cogitandum esse luce est clarius. Quod quidem impugnaverunt Classenius[14]) et Weltius, quorum alter (p. XLIV) Mülleri Wachsmuthii Niebuhrii auctoritate usus est, alter (p. 11 sqq.) ipse accuratius in rem inquisivit, neuter autem Diodoro fidem hic denegandam esse mihi persuasit.

Atque Classenii argumenta haud ita gravia esse unius Wachsmuthii exemplo ostendam quippe qui minime ‚Diodoream hanc narrationem omnino reiciat' ut ait ille; haec enim apud eum leguntur (griech. altert. I 2, 219): ‚das stillschweigen des Thucydides, der bemerkt, nach dem blutbade aus dem 7ten jare des krieges sei nichts der erwänung wertes geschehen, macht jene nachricht verdächtig, doch gibt D. noch den einzelnen umstand an, dass Konon mit Messeniern aus Naupaktos zu jener zeit nach Kerkyra kam. — das übrige ist in D.'s charakterloser manier erzält u. s. w.' in suspicionem autem vocare aliquanto abesse a plane reiciendo, contra Cononis mentionem Diodori narrationi fidem quandam facere virum illum doctum verbo ‚doch' significare videri nemo erit qui neget. Neque praetermittere debuit Classenius illud Niebuhrii de Diodoro iudicium (Vortr. üb. alte gesch. II p. 3) ‚Die geschichten d. Diod. Sic., so gänzlich urteilslos und schlecht sie an sich sind, enthalten doch über griechische geschichte ganz un-

14) Nolim cum Cwiklinskio p. 17 ‚Classenium ea tantum de causa Diodoream relationem in dubitationem vocasse' putare ‚ut opinionem suam de Thucydideae historiae compositione quovis modo defenderet'. Summo enim opprobrio vertendum est viro docto, ad quandam sententiam fulciendam argumentis uti quae ipse non plane probaverit; nihil autem est quod eum hoc crimine insimulemus.

schätzbare angaben — natürlich nicht von ihm — und sind unendlich reich an sachen, die noch garnicht für die geschichte benutzt sind.' Quod confirmat Sieversius (Comm. hist. de Xenoph. Hell. p. 8) his verbis: ‚Diodorus . . . mirum in modum, postquam Thucydideum tempus pessime exposuit et imprimis res anno 412 a. Chr. gestas ita ut vix recognoscas depravavit, simul ac Thucydides defecit, viribus quasi augetur, ex negligentissimo auctore evadit diligentissimus, ita ut eius narrationes et summi sint momenti et iis quae Xenophon omisit supplemento esse possint.' Quae testimonia laudo non tam ut eam de qua quaeritur rem veram esse demonstrent, quam ut iniuria Classenium eorum virorum doctorum auctoritatem secutum esse efficiant; eo minus autem facere hoc debuit quod quae de posteriore illa seditione Corcyraea senserint tantum ex loco illo Thucydideo hauserunt; quod autem de fonte unde hanc historiae suae partem Siculus ille scriptor sumpserit falso iudicant, non est cur vitio iis des, cum qui unus ad id tempus accuratius in hanc rem inquisivit, Heynius, prorsus falsa statuisse existimandus est (cf. Volquardsenium, Untersuchungen üb. d. quellen d. griech. u. sicil. gesch. bei Diod. Kiliae 1868 capp. I. II).

Iam vero Weltius totam narrationem Diodoream neque veram et maximam partem ex Thucydidea annorum 427—425 belli intestini descriptione (III 69—82. IV 46—49) emanasse hisce fere evincere studet: quae hic quindecim capitibus fuse ac diligenter exponat, illum in unum caput (XII 57) coartare; posteriorem seditionem cum priore apud illum cohaerere non videri; plurimos apud utrumque locos quodammodo congruere; eandem apud Diodorum posterioris atque apud Thucydidem prioris motus originem esse; Cononis mentionem eo explicandam esse quod filius eius Thimotheus expeditioni Corcyraeae anni 374 praefuerit; numeros et Messeniorum et civium eiectorum probabile nihil habere; optimates postquam quindecim annis ante paene exstirpati fuerint adeo iterum viguisse atque Athenienses, tanta in Sicilia clade accepta, Corcyraeos etiam adiuvisse vix putandos esse; occasionem tandem totius narrationis fingendae seditionem Samiam anni 412 praebuisse videri. Gravissima haec sane atque primo adspectu probabilissima argumenta! Tamen, cum paulisper tecum rem reputaveris, aliter te iudicaturum esse spero. Etenim, cum constet Diodorum

levissime semper ex fonte suo hausisse et res gestas mirum prorsus in modum perturbavisse ac depravavisse, imprimis autem pugnas omnes eodem fere modo descripsisse quem iure Wachsmuthius (v. supra) ‚charakterlose manier' appellat, non est cur mireris quod singulae res in iis quae de utraque seditione narrat similitudinem quandam praebeant, quod gravissima quaeque, ut quae Thucydides III 75—79 et IV 46—48 exponit apud eum XII 57 (cf. Cwikl. p. 16) omissa sint, quod numeris quos ille adfert fides nulla habenda videatur. Unam autem rem in duas dividere atque quindecim annorum spatio interiecto narrare, insuper etiam quae Sami anno 412 facta sint Coryram in annum 410 transferre[15]) ne Diodorum quidem potuisse neminem fore contendo qui neget. At enim anno 410 alteram seditionem Corcyrae coortam esse per se ipsum credi non potest! Nego ego et quae ad fulciendam hanc opinionem adfert Weltius redarguere conor. Etenim sicut optimates, quamvis anno 427 infinita eorum caedes facta esset (III 81,4), tamen duobus annis post tantas vires recuperaverant ut ab Istone monte totam regionem obtinerent plurimasque clades terrae inferrent, ita post quindecim annos ad eam potentiam eos pervenisse ut seditionem facere conarentur haud ita absurdum mihi videtur, cum quamquam secundum Thucydidem minima pars eorum mortem effugerat, tamen tot annorum decursu et numero et opibus crescere potuerint, quae si concedas, num mirandum est similem utrique bello originem fuisse? Cum deinde, ut auxilium ab Atheniensibus eo tempore Corcyraeis latum in suspicionem vocet, haec verba Thucydidea laudat: *τότε ἐν τῇ Λακωνικῇ τείχισμα ἐκλιπόντες ὃ ἐνῳκοδόμησαν παραπλέοντες ἐς Σικελίαν καὶ τἄλλα εἴ πού τι ἐδόκει ἀχρεῖον ἀναλίσκεσθαι ξυστελλόμενοι ἐς εὐτέλειαν* VIII 4 omittere non debuit quae sequuntur: *μάλιστα δὲ τὰ τῶν ξυμμάχων διασκοποῦντες ὅπως μὴ σφῶν ἀποστήσονται* ex quibus plane contrarium coniciendum est. Naupacto autem ex loco illo tam idoneo eos discessisse neque per se ipsum veri est simile neque ab ullo unquam auctore traditum est. Quo ex portu quod Cononem Corcyram profectum esse Diodorus refert non opus est eadem qua Weltius ratione explicare: illum enim ducem iam anno 413 ibi fuisse Thucydides VII, 31,4

[15]) Ceterum initium Thucydidei VIII 21 cum exordio Diodorei XIII 48 conferri non posse nisi ut Weltius singula verba ex contextu sermonis demas nemo non videbit qui attente ea perlegerit.

narrat ut recte monet Cwiklinskius (p. 17). Quoniam alteram seditionem Corcyraeam per se ipsam credibilem esse vidimus, nunc aliud meae opinionis argumentum ex eo ipso petam quod ut contrarium evincat adfert Weltius: posterioris motus descriptionem Diodori cum descriptione prioris non cohaerere aut, ut recte contra Ullrichium observat, quae antea scripserit postea eum prorsus oblitum esse. Contendo enim vix dubitari posse quin, si altera illa historia omnino ficta esset, scriptor eam de industria, ut commento suo fidem faceret, ad priorem relaturus fuerit; quod cum non fecerit eum quae apud auctorem suum invenerit sine ulla dubitatione, sed, quae erat eius consuetudo, neglegenter et quodammoda confuse exscripsisse. Et vero bonos auctores eum secutum esse, Ephorum vel si mavis Theopompum, cum a viris doctis Volquardsenio (v. supra) Collmannio (De Diodori Sic. fontibus. Lipsiae 1869) Frickio (Untersuchungen üb. d. quellen d. Plutarch im Nikias u. Alcibiades. Lipsiae 1869) luculentissime demonstratum sit,[16]) facere non possum quin et de fide Diodori et de significatione verborum *ὅδε ὁ πόλεμος* Ullrichio adstipuler.

Iam num vere verba illa postea a Thucydide inserta esse putanda sint videamus. Quod negant et Steupius et Weltius. Ille enim (p. 21 sqq.) evincere vult, Thucydidem non anno 414 a scribendo destitisse sed totum bellum prius sine maioribus intercapedinibus scripsisse atque anno 409 vel 408 ad finem perduxisse, ut caput illud totum IV 48 anno 410 demum compositum sit atque verba illa postea addita esse existimare non oporteat. Cui sententiae quam per se ipsam et probabilem esse et consentaneam concedimus obstat quod, ut iam supra ostendisse mihi videor, summo opere est mirandum scriptorem, quem quominus statim post annum 421 opus suum adgressum esse putemus nihil impedit, duodecim annis non amplius quam quattuor libros et quaedam capita perfecisse. Contra per tempus quod post Niciae

16) Quorum librorum cum duos primos tantum cognoverim, tertius autem praesto mihi non fuerit, diligentius num revera Volquardsenii opinio a Frickio refutata sit examinare non potui, quamquam quae Cwikl., cui universe de loco hoc Diodoreo recte disputanti adsentior, (p. 15) hac de re exponit probabilia sane mihi videntur. Sed nihil omnino interesse duco utrum Ephorum an Theopompum Diodorus secutus sit auctorem; uterque enim cum bonus sit, descriptioni posterioris seditionis Corcyraeae fidem habendam esse — quod unum summi momenti est — satis demonstratum videtur.

pacem secutum est usque ad annum 414 totum bellum decem annorum usque ad V 24 vel certe 20 eum absolvisse infra me comprobaturum esse spero. Weltius autem cum scriptorem eam ob causam verba *ὅσα γε κτἑ* postea inserere potuisse negat, quod, si in belli posterioris et ipsius *ὅδε ὁ πόλεμος* appellandi historia explicanda ad annum 410 pervenisset, vehementissime haec cum iis quae supra dixisset discrepare perspecturus fuerit, hoc non respicit, ne potuisse quidem eum *ὅσα γε κατὰ τὸν πρῶτον πόλεμον* dicere quia ante expositionem illam V 25/26 nemo quid sit prius bellum intellexisset. Adde quod anno 410 eum tres belli partes iam scribere, nondum autem una historia complecti sibi proposuisse veri est simillimum (cf. Steupium p. 10) cui sententiae mire favet quod Siciliensem quidem expeditionem per se scriptam et postea demum toti operi additam esse Cwiklinskius (Hermes XII p. 23 sqq.) demonstravisse mihi quidem videtur; discrepantia autem inter utramque de tempore quo illa verba inserta sint Ullrichii opinionem Weltius suae sententiae argumento uti non debebat: quid enim? nonne cum virum illum sagacissimum universe de hac quaestione Thucydidea recte disputasse existimemus, in singulis rebus eum erravisse concedendum est? Sed haec quidem hactenus: evicisse enim mihi videor et Diodorum vera tradidisse et verba *ὅσα γε κατὰ τὸν πόλεμον τόνδε* de priore tantum bello dicta ac postea inserta esse.

Iam vero cum in altero tertio quarto libro locos invenerimus quos post totum bellum scribi potuisse iure negandum est, ad primum librum accedamus. Ac ne huic quidem deesse locos quibus ea quam defendendam mihi proposui sententia fulciatur argumentis me esse confirmaturum confido.

Atque primum quidem — ut mittam cc. 13 et 18 quibus nisi circulo vitioso (si hac voce uti licet) evinci quicquam posse recte negavit Weltius (p. 15) — dicendum est de eius libri c[e] 23 quo bellum quod scripturus est Thucydides et diuturnitate et cladibus maxime insigne fuisse ostenditur quae si post annum 404 scripta essent non opus ei fuit, ut ait Ullrichius (p. 109 sqq.) tam caute ac pavide bellum Peloponnesiacum cum iis quae antecesserunt conferre, sed, ut id omnibus usque eo gestis multo memorabilius esse confirmaret, viginti septem annos commemorare satis fuit; porro cum alia tum lunae illum defectum qui anno 413

atrocissimae Atheniensium in Sicilia cladis causa erat (VII. 50) inter calamitates belli adferre certe non praetermisisset. Sed de singulis paragraphis nobis disputandum est. Atque initio concedimus Ullrichium erravisse cum primis eius capitis verbis *τῶν δὲ πρότερον ἔργων μέγιστον ἐπράχθη τὸ Μηδικόν, καὶ τοῦτο ὅμως δυοῖν ναυμαχίαιν καὶ πεζομαχίαιν ταχεῖαν τὴν κρίσιν ἔσχε· τούτου δὲ τοῦ πολέμου μῆκός τε μέγα προύβη, παθήματά τε ξυνηνέχθη γενέσθαι ἐν αὐτῷ οἷα οὐχ ἕτερα ἐν ἴσῳ χρόνῳ* bellum Peloponnesiacum bellis et Persico et Troiano opponi iisque fuisse diuturnius demonstrari contendat: neque minus erraverunt Classenius (cf. Steupium p. 16) et Weltius: illud enim de priore tantum bello praedicari ex ipsis primae paragraphi verbis apparet. In eo autem ipso summum nostrae sententiae argumentum positum esse mihi videtur, quod, quamquam c. 11 bellum Troianum decem annos continenter gestum vere dici non posse scriptor docuit, tamen hic Peloponnesiacum ei quoque praestare diuturnitate dicere non audet, quod sine ulla dubitatione facere potuit si de viginti septem annis iam hic cogitavisset neque veritus esset ne decem anni qui nihilo minus uno omnium consensu bello Troiano tribuebantur sibi obicerentur. His refelluntur quae Weltius (p. 16) contendit; iniuria autem Cyprianus (p. 4) hisce opponit etiam viginti septem annorum bello confecto prius illud ab aequalibus memorabilius existimatum esse cuius rei testem laudat Isocratem qui in Helenae encomio illud omnium quae unquam gesta essent maxime memorabile fuisse doceat; attentius enim si oratoris verba inspexerimus, videbimus prorsus aliter ea intellegenda esse. Cum enim dicat (§ 49) *πολλῶν γὰρ αὐτοῖς* (i. e. *τοῖς Ἕλλησι καὶ τοῖς βαρβάροις*) *πρότερον ἐγκλημάτων γενομένων περὶ μὲν τῶν ἄλλων ἡσυχίαν ἦγον, ὑπὲρ δὲ ταύτης* (i. e. *τῆς Ἑλένης*) *συνεστήσαντο πόλεμον οὐ μόνον τῷ μεγέθει τῆς ὀργῆς, ἀλλὰ καὶ τῷ μήκει τοῦ χρόνου καὶ τῷ πλήθει τῶν παρασκευῶν ὅσος οὐδεὶς πώποτε γέγονεν*, apparet haec ultima quoque verba ad *πρότερον* illud referenda neque cum Cypriano ‚quantum usque ad hunc (i. e. oratoris)' sed ‚usque ad eum (i. e. Helenae) diem fuerat nullum' interpretanda esse. Ceterum huius libelli Isocratei auctoritate niti non debuit Cyprianus, quem sophistarum more elaboratum omnia quae ad Helenam laudibus tollendam conferrent conquisivisse atque amplificavisse constet, ut iure Thucydideis verbis *ἀγώνισμα ἐς παραχρῆμα* vocari possit.

Quod Classenius (p. XLV et in adn. ad h. l.) et Weltius (p. 15) in medium proferunt, neque de universa belli magnitudine neque de ipsius eventibus scriptorem dicere voluisse, considerandum est, si post annum 404 scripsisset, non solum diuturnitate atque malis praeter modum adlatis sed multo melius etiam summa ad omnes res Graecas mutandas evertendasque vi hoc bellum superioribus praestare eum et dicere potuisse et dicturum fuisse, praesertim cum bellum Persicum quocum illud comparat non maxime diuturnum sed summi momenti — id enim sibi velle *μέγιστον* Steupio (p. 17) adstipulor — fuisse praemiserit. De malis autem quibus Graecia eo tempore adfecta est falsa statuisse Classenium atque §§ 2 et 3 confudisse, verba autem *ταῦτα μετὰ τοῦδε τοῦ πολέμου ἅμα ξυνεπέθετο* ad ea tantum referenda esse quae post *τά τε πρότερον ἀκοῇ μὲν λεγόμενα* sequuntur luculentissime docuit Cwiklinskius (p. 9), quae sententia eo confirmari mihi videtur quod primum dicitur *παθήματα ξυνηνέχθη γενέσθαι ἐν αὐτῷ* cui postea opponitur *μετὰ τοῦδε τοῦ πολέμου ἅμα*; priore igitur loco ea enumerantur quae bello ipso effecta sunt, posteriore demum quae *μέτα τ. τ. π. ἅμα* Graeciae nocuerunt, quod negare eum miror, cum *πόλεις ληφθεῖσαι, φυγαί, φόνος* nihil mihi quidem videantur nisi belli ipsius eventus, optime igitur, si iam cognovisset, etiam funestissimam Atheniensium cladem Siciliensem vel calamitates Ionico atque Deceleico bello acceptas commemorare Thucydides potuit.

Iam si ad § 3 accedimus — ut argumenta quae Ullrichius a pestilentia ultimo loco enumerata et Steupius (p. 11 sq.) a terrae motu anno 412 in Coo insula facto (VIII 41, 2) petunt mittam: quae quamquam contemnenda non sunt, tamen neque necessitatem neque eam quae ad persuadendum requiritur vim habent — videmus, quo praecipue nititur Ullrichius praesidio,[17]) lunae defectu anni 413 a Thucydide hic non iuxta *ἡλίου ἐκλείψεις* commemorato, id Weltium ne verbo quidem, Classenium leviter tantum idque in alterius demum editionis appendice p. 268 et ita attigisse, ut minime refellatur. Quod hi neglexerunt fecerunt Cyprianus (p. 5) et Stahlius (p. XI) quorum uterque eam ob causam

---

17) Non neglegendum est, etiam Krügerum ad h. l. dicere: ‚fast zu wenige (i. e. solis defectus) für das *πυκνότεραι*; auffällt dass Th. nicht *καὶ σελήνης* zugefügt.‘

lunae defectum praeteriri dicit quod solis defectus et aequales scriptoris magis admirati sint et solito saepius accidisse (*πυκνότεραι παρὰ τὰ ἐκ τοῦ πρὶν χρόνου μνημονευόμενα*) constet, cum luna per belli tempus non frequentius defecerit quam antea defecisse in memoria fuerit. Ex iis autem quae in appendice III p. 178 sqq. exposuit Ullrichius apparet Thucydidi toto viginti septem annorum bello non amplius quam duo solis,[18]) sed tres lunae defectus, bello autem decennali eosdem duo solis, sed unum tantum lunae innotuisse, ut, si statim post Niciae pacem hoc caput scriptum esse existimamus nihil est cur huius mentionem desideremus; contra, si post Lysandri pacem historia composita esset, facere non possumus quin cum ob maiorem numerum tum eam praecipue ob causam lunae defectus commemorandos fuisse contendamus quod lunae illo defectu anni 413 magis fatalem vim nullum unquam neque solis neque alium lunae habuisse constat. Reliquum est ut aliud Cypriani argumentum refellatur quo verbis *ταῦτα γὰρ πάντα μετὰ τοῦδε τοῦ πολέμου ἅμα ξυνεπέθετο* hoc indicare scriptorem dicit, nulla mala alia hic enumerata esse quam quae statim cum exordio belli in Graecia exstiterint ut quae Siciliensi vel Deceleico bello evenerint significari hic non potuerint. Sed vereor ut nobis hoc comprobet: etenim, si solis defectus excipimus, quorum primum statim primo belli anno (431, II 28) accidisse concedendum est, in ceteras tres calamitates hoc cadere negare possumus: de siccitatibus cum fame coniunctis nihil usquam memoriae proditum est, pestis secundo demum anno (430 II 47 sqq.) in Atticam ingruit, terrae autem motus de quo II 8,3 legimus, non simul ineunte bello, sed ante initium totius belli Delum conquassavit.[19])

Sed mittamus haec atque, cum ex I 21,2 sumptum ab Ullrichio argumentum nullius in utram partem momenti sit, statim nos ad eiusdem libri c. 10 vertamus. Cuius capitis verba *Λακεδαιμονίων γὰρ εἰ ἡ πόλις ἐρημωθείη, λειφθείη δὲ τὰ ἱερὰ καὶ τῆς κατασκευῆς τὰ ἐδάφη, πολλὴν ἂν οἶμαι ἀπι-*

18) Non tres, ut vult Cyprianus, primus sex vel potius septem annis tribuendi sunt; eum enim qui anno 426 evenit a Graecis non observatum esse docet Ullrichius p. 181.

19) Conferendum est quae de hoc terrae motu ac discrepantia inter Herodotum VI 98 et Thucydidem dicit Kirchhoffius in libello ‚Ueber d. entstehungszeit d. Herodot. geschichtswerkes. ed II. Berol. 1878' p. 18), quo ex loco virum illum praeclarissimum et ipsum Ullrichianae de Thucydidis historiae compositione sententiae adstipulari apparet.

στίαν τῆς δυνάμεως προελθόντος πολλοῦ χρόνου τοῖς ἔπειτα πρὸς τὸ κλέος αὐτῶν εἶναι (*καίτοι Πελοποννήσου τῶν πέντε τὰς δύο μοίρας νέμονται, τῆς τε ξυμπάσης ἡγοῦνται καὶ τῶν ἔξω ξυμμάχων πολλῶν . . .*), *Ἀθηναίων δὲ τό αὐτὸ τοῦτο παθόντων διπλασίαν ἂν τὴν δύναμιν εἰκάζεσθαι ἀπὸτῆς φανερᾶς ὄψεως τῆς πόλεως ἥ ἔστιν* ideo post bellum Deceleicum scripta esse negat Ullrichius (p. 124 sqq.) quod, cum hic Atheniensium et Lacedaemoniorum oppidorum eo quo scripserit Thucydides (cf. praesentia *νέμονται, ἡγοῦνται, ἔστιν*) tempore status inter se conferatur, haec comparatio ad tempus quod bellum Archidamicum secutum est valeat, tempore autem post annum 404 prorsus alia utriusque civitatis condicio fuerit: tum non *Πελοποννήσου τῶν πέντε τὰς δύο μοίρας νέμονται τῆς τε ξυμπάσης ἡγοῦνται κτέ·* sed *τῆς τε ξυμπάσης Ἑλλάδος* dicendum fuisse, Atheniensium autem opes cum fractae essent, Lacedaemoniis ita opponi non potuisse. Quodsi Classenio (p. XLVI sq.) et Weltio (p. 17) concedimus, non inter se Athenas et Lacedaemonem conferri, sed quae utriusque civitatis potentia diversis temporibus et fuerit et ut fuisse existimetur futurum sit exponi, tamen apparet hac re ipsos sententiae suae adversari: recte enim Ludwigius (p. 806) observavit, post bellum decennale cum ambae civitates paribus fere opibus e pugnis discessisent earum inter se comparationem nullius momenti fuisse, contra post totius belli finem cum, Lacedaemoniis victoribus, Atheniensium potentia fracta prorsus ac prostrata esset, ex amborum opibus inter se conlatis multo gravius quam quod nunc legamus argumentum peti potuisse. Neque hoc ea re imminuit Classenius quod de ullo certo tempore — sive pace a Nicia facta sive fine toti bello imposito — omnino hic cogitari non posse, sed de universa earum civitatum vi dici contendit (in adn. ad h. l.; quae in appendice ad libri primi alteram editionem p. 268 exemplo a Thebis Aegyptiacis et Ninive sumpto explicare atque contra Steupium qui p. 6 adn. 1 se haec non intellegere confessus est defendere studet). Huic enim opinioni obiciendum est quod tempora praesentia *νέμονται ἡγοῦνται ἔστιν* (etiamsi *ἥ ἔστιν* cum illo ‚quam re vera est' interpretamur) ut de certo quodam tempore et de eo ipso quo scripsit Thucydides cogitemus postulant. Hoc autem tempus quominus post annum 404 statuamus (quod Cwiklinskium quoque fecisse miror) cum quae supra iam exposui, tum et vv. *διπλασίαν ἂν τὴν δύναμιν εἰκάζεσθαι* et *καίτοι Πελοποννήσου — πολλῶν*

impediunt. Quid enim post totius belli finem cum Atheniensium opes terra marique fractae essent potentia eorum vel altero tanto maior valuerit equidem non video. Stahlius quidem (p. XI) ut iniuria verba *πάσης τῆς Ἑλλάδος προστάται* (Xen. Hell. III 1,3 [VI 1,8] Anab. VI 6. 12 VII 1,30) ita accipi, quasi Lacedaemonii tum Graeciae totius summam imperii habuerint doceat haec verba Anabasis Xenophonteae VII 1,28 adfert: *Λακεδαιμονίοις μὲν καὶ ἀρχαίων συμμάχων ὑπαρχόντων, Ἀθηναίων δὲ καὶ οἳ ἐκείνοις τότε ἦσαν σύμμαχοι πάντων προσγεγενημένων*; hisce autem ad eos socios qui ante bellum Peloponnesiacum cum Spartiatis fecissent post eius finem et Athenienses et quos ei antea habuissent socios accessisse etiam declaratur atque Lacedaemonios, quamvis Aetoli et Thessali non ex societate eorum imperio parerent, post annum 404 non solum maiore quam antea verum etiam quam ulla unquam civitas Graeca in alias habuisset potentia valuisse confirmatur.

Iam vero ad gravissimum nostrae sententiae praesidium pervenimus quod ex eo petendum est quod non uno sed duobus prooemiis I 1 et 20—23 et V 25/26 utitur Thucydides, quibus eius liber non unus atque individuus apparet verum in duas quasi partes dividitur, quod cum per se ipsum mirum videatur tum cum eorum opinione pugnat qui, ut Classenius Weltius alii, Thucydideam historiam opus perfectum omnibusque numeris absolutum esse putant. Quaecunque autem Ullrichii adversarii contra hoc argumentum protulerunt haud ita magni momenti aestimanda sunt. Neque enim uni libro continuo unum prooemium consentaneum fuisse neque in priore eam quae in altero legimus expositionem de initio, partibus, fine belli desiderari neque scriptoris verbis quibus eundem se posteriorem quoque belli partem (*γέγραφε δὲ καὶ ταῦτα ὁ αὐτὸς Θουκυδίδης Ἀθηναῖος κτέ* V 26,1) eademque qua priorem diligentia (*ἐπεβίων δὲ διὰ παντὸς αὐτοῦ αἰσθανομενός τε τῇ ἡλικίᾳ καὶ προσέχων τὴν γνώμην ὅπως ἀκριβές τι εἴσομαι* V 26,5 cf. *τὰ δ' ἔργα τῶν πραχθέντων ἐν τῷ πολέμῳ . . . ἠξίωσα γράφειν . . . ὅσον δυνατὸν ἀκριβείᾳ περὶ ἑκάστου ἐπεξελθών* I 22,2) scripsisse dicit dubitationem, num a primo initio de viginti septem annorum bello una historia complectendo cogitaverit, moveri refellerunt. Nec quicquam eo expedivit Weltius (p. 26) quod alteri prooemio hoc nomen re vera denegandum contendit: verba haec sunt, non argumenta. Plane autem rei-

ciendum est quod idem et Classenius (p. L) dicunt, Thucydidem quae ipse de priore bello, pace suspecta, altero bello quasi unius belli tribus partibus senserit neque priore prooemio neque aptiore usquam loco quam hic exponere aut potuisse aut voluisse, quod res gestas ipsas sequatur nec quicquam narrando anticipet. Hanc enim sententiam si prudens ille rerum explicator secutus esset, non duo sed tria prooemia nos habituros et quam diu saevierit quandoque desierit bellum in fine demum totius libri aut, cum is non ad finem perductus sit, omnino non lecturos esse quis est quin concedat? Quid quod ne haec quidem verba: *κίνησις γὰρ αὕτη μεγίστη δὴ τοῖς Ἕλλησιν ἐγένετο καὶ μέρει τινί τῶν βαρβάρων, ὡς δὲ εἰπεῖν, καὶ ἐπὶ πλεῖστον ἀνθρώπων* I 1, 2, quippe quae secundum eorum opinionem (ut infra videbimus) in posteriorem tantum belli partem quadrent, in exordio operis eum ponere debuisse ea argumentatione efficitur?

Accedit aliud quod suspicionem, prius prooemium statim post annum 421 scriptum esse nobis non augere non potest: qui, inquit Ullrichius (p. 131), Thucydidem in priore prooemio (I 20,2) de Pisistrati filiis dicturum fuisse putare possumus nisi, cum id scriberet, iterum (VI 54—59) sibi de eis loqui opus fore ignoravisset? Ac profecto mirum videtur, eum, quem in posteriore maxime operis parte omnia quae non ad rem spectent amovisse constet, bis eandem rem quae a proposito plane abhorreat fuse exponere, quod idem Krügero visum esse ex iis apparet quae et in adn. ad h. l. et in vita Thucydidis (krit. anal. 1, 69) dicit. Cum autem simpliciter hoc ita explicare liceat ut prioris narrationis cum iterum de eare diceret scriptorem meminisse quidem sed eam in retractando opere postea delere sibi proposuisse existimemus quod ne faceret morte impeditus sit, Cwiklinskius (p. 29 sqq.) eo consilio eum bis eandem rem docuisse arbitratur ‚ut ostendat, neque omnino homines neque Athenienses res ante actas vel ipsa in patria accurate novisse sed famam sequi malle' ac ‚ne vulgus quae fama accepit sine disquisitione pro veris haberet', Weltius praeterea (qui similiter fere de hac re sentit p. 27) et Cyprianus (p. 4) priorem narrationem haud ita fusam esse docent cum, ut hic computavit, tantum 10, altera 117 versus amplectatur, omnes tres autem utramque digressionem post annum 404 scriptam esse putant. Cum autem minime re-

ferat, quam longa prior commemoratio sit, non magis quam Leskius (p. 23) persuadere mihi possum Atheniensium tantum causa duplicem illam expositionem factam esse;[20]) sane multum Thucydidis et vera explorare et falsa redarguere interfuisse concedendum est (cf. I 2. 20. 21. II 29 saepius) sed eum idcirco consulto eadem re bis uti nec per se ipsum est credibile neque alias usquam apud eum invenitur. Omnino autem in incerto haereremus si Cwiklinskium secuti utra narratio (post annum 404) antea esset scripta quaereremus ac frustra utrum priorem ante posteriorem an posteriorem ante priorem brevissimo tempore compositam esse minus improbabile videretur disputaremus. Ac ne altera quidem huius rei disceptatione (Hermes XII p. 54) mihi probavit posteriorem narrationem VI 54 sqq. ante priorem I 20 scriptam esse; namque si, ut evicisse mihi videtur, expeditionis Siciliensis historia ante annum 404 eo consilio scripta est ut per se ederetur, cum post eum annum consilio mutato eam toti operi insereret, num tum priorem de Pisistrati filiis narrationem scripsisse putandus est quamvis non ignoraret se fuse iam ac diligenter de isdem dixisse? an eum eo consilio breviorem commemorationem fecisse existimabimus ut accuratam narrationem postea deleret, qua multo melius quod voluit consecutus esset? Immo vero contrarium mihi statuendum videtur. Sed quid plura? demonstravisse mihi videor prius prooemium scriptum esse tempore quod post pacem Nicia auctore factam secutum est.

Plane autem contrariam sententiam, si quidem cc. 1,1 et 23 excipis, argumentis probare Cwiklinskius (p. 23 sqq.) studet: libri primi cc. 1,2—22 et 97—118 primae compositioni, quam et ipse inter annos 421 et 414 statuendam esse consentit, defuisse ac postea demum toto bello confecto inserta esse. Priusquam autem ad hanc opinionem ipsam examinandam accedamus, paucis num loci quidam postea adiecti esse putandi sint videamus. Atque fieri hoc posse minime negandum est. Quamquam enim Krügerum hisce verbis (Vita Thucyd. = Krit. Anal. I p. 69) ‚man

20) Haec ut vana reicit Cwikl. Herm. XII p. 54 adn. verbis ipsis Thucydidis nisus VI 54,1 et I 20,1; tamen non dubito quin, si de industria bis de eadem re dicere voluisset, se aut postea eodem revolutum iri aut antea iam idem adumbravisse verbo quidem significaturus fuerit.

darf die abfassung des proömions nicht später als die des werkes ansetzen. denn hätte der schriftsteller sie verschieben wollen, so würde er sie wol bis zur vollendung des werkes ausgesetzt haben und dann würden wir das proömion gar nicht besitzen', si de prooemio in universum dixit, recte iudicavisse non nego, tamen mutare quaedam aut locos singulos vel etiam tota capita postea addere cur usque ad finem totius historiae scriptor distulerit equidem non video neque ullum esse librum puto quem non auctor antequam ediderit aut nonnullis locis mutaverit aut additamentis amplificaverit, et non absoluto tantum libro, verum etiam in scribendo ipso, praesertim cum non dies sed annos in componendum eum impenderit. Quid igitur causae sit cur et Weltio (p. 29) et Classenio (p. XLIV) verba postea addita miri aliquid habere videantur non patet. Itaque cum per se ipsum fieri hoc posse concedamus, tamen ubicunque locum secunda manu additum suspicamur summa diligentia ac cautione explorandum est utrum insertum eum existimemus oporteat an quae in eo dubitationem movent aliis rationibus explicari possint. Cum autem I 97–118 adiecta esse mihi comprobaverit Cwiklinskius, idem de 1,2—22 non minus quam de II 48—51 et III 86,4 (v. supra) nego. Iam duo opinionis eius praesidia quae et ex c^e 20 cum V 54 sqq. coniuncto et ex c^e 10 petiit subtraxisse ei mihi videor cum capita haec paulo post annum 421 scripta esse demonstraverim; alia num graviora sint videamus.

Atque argumentationis initium inde sumit quod c. 22 eo quo nunc legitur loco ut Krügero ita ipsi offensionem praebet: apte id cum c^e 21 cohaerere, cum quae ibi de magnitudine belli Peloponnesiaci dicta sint amplificet; c^e 23 autem tam diversas res a rebus c^is 22 tractari ut qui sit inter ea nexus non perspiciatur; cc. 23 et 24 artissimo vinculo cohaerere; c^e 23 belli Persici commemorationem permiram esse postquam cc. 2—20 cum de aliis rebus quae antea fuerint tum de bello Troiano et Persico dictum sit; ultima c^is 21 verba, si c. 22 amoveamus, non cum primis c^is 23 olim posse coniuncta fuisse, ‚quoniam cc. 2—22 omnino magni aliquid ante Peloponnesiacum bellum factum esse negetur, c^e 23 bellum Peloponnesiorum et Atheniensium maius Persico itaque maximum omnium fuisse praedicetur;' nec magis I 1,2 cum 1,1 aut 23 congruere, hunc

enim esse totius c^{is} 1^{i} sententiarum ordinem: ‚Thucydides speravit . . magnum futurum esse bellum Peloponnesiacum. Et recte speravit. Nam motus fuit maximus. Nam quae anteä fuerunt non sunt magna‘, mirum autem esse ter in paucis lineis adiectivum *μέγας* positum et c^{e} 23 demum primum magnitudinis documentum datum inveniri; praeterea 1,2 et 1,1 ideo dissentire quod hac paragrapho Thucydides bellum Peloponnesiacum ad Graecos, illa ad barbaros omnesque homines pertinere dicat; 1,2—22 igitur demptis aptissime 23 cum 1,1 particula *γὰρ* coniunctum esse.

Paulo tamen aliter res sese habere mihi videtur. Verum est, c. 22 cum 23 minime cohaerere; illud enim cum ‚quid de natura operis ipsius, praesertim de principibus eius partibus, de orationibus et narratione factorum sentiendum sit proponat‘ statim transituros nos ad narrationem exspectamus; antequam autem ad eam accedimus, c^{e} 23 de magnitudine belli Peloponnesiaci dicitur. Neque vero magis cum c^{e} 21 c. 22, ut vult Cwiklinskius, cohaeret; illo enim spem profert Thucydides se omnibus ‚*ἀπ᾽ αὐτῶν τῶν ἔργων σκοποῦσι*‘ bellum quod descripturus sit maius omnibus quae antea fuerint persuasurum esse, ut iam quae illa *ἔργα* sint statim comperturum te speres: quod ita non fit ut antea scriptor quam viam ac rationem in conscribenda historia secutus sit exponat; ac ne quis quod desideremus c^{e} 21 datum esse nobis obiciat: ibi tantum quomodo *τὰ ἔργα* et examinaverit et narraverit scriptor, non quae aut qualia aut quanta fuerint legimus;[21]) illud autem quod exspectamus cum c^{e} 23 universe expositum sit (*τούτου δὲ τοῦ πολέμου μῆκός τε μέγα προύβη, παθήματά τε ξυνηνέχθη γενέσθαι . . . οὔτε γὰρ πόλεις τοσαίδε ληφθεῖσαι . . . τά τε πρότερον ἀκοῇ μὲν λεγόμενα κτέ.* vel, ut paucis adumbrem: 1. diuturnitas 2. calamitates a) bello ipso effectae b) insuper adlatae), aptissime hoc cum c^{e} 21 eadem qua poscit Cwiklinskius particula *γὰρ* coniungendum est. Sane quid de c^{e} 22 dicam prorsus ignorare me confiteor: utut enim de eo statuis, cum neque cum c^{e} 21 neque cum c^{e} 23 cohaerere id demonstraverim, difficultates non tolluntur sive in primo textu Thu-

21) Hoc si tenemus, concidit quod Class. ad refutandum Krügeri de c^{e} 22 iudicium in adn. ad c. 21 profert: c. 22 folgt die charakterisirung ihrer (i. e. historiae) hauptteile, der *λόγοι* (§ 1) und der *ἔργα* (§ 2): non de *λόγων* et *ἔργων* natura, sed de eorum exploratione et narratione dicitur.

cydideo id fuisse sive cum c[e] 21 sive solum insertum esse arbitraris.

Quod autem c[is] 1 paragraphos 1 et 2 inter se pugnare contenditur, quod illa de Graecis tantum, hac de barbaris quoque dicatur: non mirum est, priore enuntiato universe de aliqua re et simpliciter dici, posteriore autem eam efferri atque amplificari; quamquam enim bellum illud barbaros quoque movisse praedicatur, idem tamen est quod, ut 1,1 comperimus, Peloponnesiaci atque Athenienses inter se gesserunt. an ellipsis illa ante *κίνησις γὰρ αὕτη μεγίστη*, quam haud raro apud Thucydidem invenimus, ut sedecim annorum spatium interiectum inter ambo enuntiata existimemus cogit? Belli Persici porro commemoratio c. 23 in. miri nihil habet cum ad ea spectet quae antea docuit scriptor.

Omnia igitur quae disputavimus ut complectamur, ita capitum 1—23 argumentum paucis adumbrari potest: ‚Thucydides ab ipso initio speravit magnum futurum esse bellum. Et recte speravit. Nam motus fuit maximus, non Graecis solum, verum etiam barbaris. Et magnus fuit praesertim si cum eis quae antea fuerunt confertur (c. 1). Haec autem parvi momenti fuisse demonstratur (2—20). Tamen plerisque, cum hoc bellum finitum erit, illa iterum maiora videbuntur, non iis qui facta ipsa reputant (21), nam cum bellum Persicum, quamquam omnium quae antea gesta sunt bellorum summi erat momenti, mox finitum sit, bellum Peloponnesiacum et diuturnitate et factis maxime omnium quae antea gesta sunt conspicuum est (23)‘. Ita argumentationem Thucydideam continuam esse nec quicquam miri habere confirmavisse mihi videor.

Aliud quod protulit Cwiklinskius argumentum, veri simile non esse ‚Thucydidem ante exsilii tempus per totam Graeciam migrantem tantam Graecarum rerum sibi notitiam parasse quanta ex prooemio eluceat‘ iam a Leskio (p. 22) refutatum est. Ut autem refellam quod temporibus praeteritis c[is] 22 imprimis *εἴρηται* § 1 sententiam suam fulciri dicit, ea monere quae Krügerus (krit. anal. p. 69 cf. adn. 3) de eorum usu exponit satis est. Reliquum est ut de 1,2 verba faciam. Quae enim ibi leguntur si, ut Poppo (p. 8) Weltius (p. 28) Cwiklinskius (p. 27) alii persuasum habent, de bello decem annorum praedicari posse negandum est, nostram quoque argumentationem adminiculo quodam pri-

vari intellegitur. Atque concedendum est, primo adspectu mimium iis dictum esse videri; sed ne in totum quidem bellum, si verborum *μεγίστη κίνησις* vim non solum ad *τοῖς Ἕλλησιν* verum etiam ad *μέρει τινί τῶν βαρβάρων κτέ.* spectare vis, plane ea quadrare Steupius (p. 17 sq.) ita docuit ut totum locum non Thucydidis sed lectoris alicuius ‚magnitudinem belli eum non satis extulisse rati' esse censeret. Tamen recte certe Classenius (in appendice ad h. l. p. 268): ‚es lag dem schriftsteller offenbar nur daran, die weit über die grenzen von Hellas hinausreichenden wirkungen dises kriges . . . anzudeuten, one dass er darum das mass des *μεγίστη* auch für dise noch festhielt'. Porro consideres velim, verbis *μέρος τι βαρβάρων* cum non magnam sed aliquam modo partem significent de toto bello, sub cuius finem omnes fere qui Graecis innotuerant barbari dimicationis participes fuerint, parum certe dici; *ἐπὶ πλεῖστον ἀνθρώπων* autem cum scriptor ipse ‚nimia quadam veri superlatione oratoria' (cf. Poppo l. l.) — quam Classenium et ipsum concedere ex iis quae supra apposui verbis apparet — positum esse senserit, verbis adiectis *ὡς δὲ εἰπεῖν* restrictum atque moderatum videri. Posse quidem enuntiatum de toto bello accipi infitias ire nolo: rectius autem ad prius tantum referendum esse mihi quidem persuasum est. Quae cum ita sint vicisse eam sententiam confido ut totum prooemium 1 – 23 (excepto c^e^ 22 quod quando scriptum sit non liquet) statim post Niciae pacem et ea qua nunc legitur forma compositum esse existimandum sit.

Statim his quos locos priori historiae Thucydideae postea additos esse Cwiklinskio concedam adicio. Atque supra iam attigi I 97—118 quibus capitibus *πεντηκονταετίας* vulgo nomen est et ad quae amovenda Hellanici eiusque historiae Atticae commemoratio c^e^ 97 adducit. II 65 quo Pericles et 100 quo Archelaus Macedonum rex laudibus efferuntur, quae capita Ullrichius iam p. 145 sqq. operi aliena fuisse docuit; in illo autem *ὅσον τε γὰρ χρόνον προύστη τῆς πόλεως . . . ἐπεβίω δὲ δύο ἔτη καὶ ἓξ μῆνας* §§ 5. 6 secundae manui tribuere neque opus est neque probabile: mirandum enim esset Thucydidem inlustrissimi illius viri mortem non iam in priore compositione commemoravisse (cf. Steup. p. 24 adn. 2); quod autem ad alterum attinet cum Cwiklinskio etiam cc. 95—99 et 101. 102 inserta habere noluerim, quam coniecturam ipse levioribus tantum argumentis se

corroborare confitetur. Libri III porro cc. 82 et 83 post finem totius belli demum scribi potuisse evicit quocum consentiunt et Prellerus (p. 359 sq.) et Cyprianus (p. 13). De libri IV c. 48,5 verbis *ὅσα γε κατὰ τὸν πόλεμον τόνδε* iam supra satis disputatum est. Denique eiusdem libri 74,4 *καὶ πλεῖστον δὴ χρόνον αὕτη ὑπ' ἐλαχίστων γενομένη ἐκ στάσεως μετάστασις ξυνέμεινεν*, 81,2 *ἔς τε τὸν χρόνῳ ὕστερον μετὰ τὰ ἐκ Σικελίας πόλεμον κτέ.*, 108,4 *καὶ γὰρ καὶ ἄδεια κτέ.* posterioris belli cognitionem praebere negari non potest, ut de V 20 et 24, quibus primum *ὁ πρῶτος πόλεμος* legitur, taceam.

Iam de I 93,5 quod ultimum sententiae suae argumentum esse voluit Ullrichius diligenter disputandum est. Illud quaeritur, utrum quae ibi de muris Piraeis Themistocle auctore exstructis leguntur *καὶ ᾠκοδόμησαν τῇ ἐκείνου γνώμῃ τὸ πάχος τοῦ τείχους ὅπερ νῦν ἔτι δῆλόν ἐστι περὶ τὸν Πειραιᾶ· δύο γὰρ ἅμαξαι ἐναντίαι ἀλλήλαις τοὺς λίθους ἐπῆγον, ἐντὸς δὲ οὔτε χάλιξ οὔτε πηλὸς ἦν, ἀλλὰ ξυνῳκοδομημένοι μεγάλοι λίθοι καὶ ἐν τομῇ ἐγγώνιοι, σιδήρῳ πρὸς ἀλλήλους τὰ ἔξωθεν καὶ μολίβδῳ δεδεμένοι· τὸ δὲ ὕψος ἥμισυ μάλιστα ἐτελέσθη οὗ διενοεῖτο* nisi dirutis post finem belli moenibus scribi non potuisse an integrorum etiam eorum significationem praebere existimanda sint. Ac tolleretur omnis difficultas, si cum Steupio non modo cc. 97—118 sed etiam 89—96 postea inserta censeremus; nec facere possum quin ei adstipuler, cum Cwiklinskius haec capita iam primi operis fuisse non mihi persuaserit. Non minus enim *ἐκβολὴ τοῦ λόγου*, ut his verbis Thucydideis utar, ea potentiae Atheniensium in dies crescentis expositio est, quam quinquaginta illa annorum historia, etsi hanc tantum ita appellavit scriptor, neque ullo modo necessaria videtur. Dixerit quispiam, ut c^ibus 24—67 *τὰς ἐς τὸ φανερὸν λεγομένας αἰτίας* (c. 23), ita illis *τὴν ἀληθεστάτην πρόφασιν* inlustrari, neque negari potest haec sibi respondere; tamen considerandum est quod recte observavit Steupius (p. 26) ‚*τὰς αἰτίας κτέ*· iam se expositurum esse Thucydides profitetur, ad veram autem illam causam post se rediturum esse nullo modo significat neque magis I, 146 ubi summa eorum quae inde a cap. 24 exposita sunt repetitur de vera belli causa se exposuisse commemorat'; de hac autem iam satis dictum est hisce: *τὴν μὲν γὰρ ἀληθεστάτην πρόφασιν . . . τοὺς Ἀθηναίους ἡγοῦμαι μεγάλους γιγνομένους καὶ φόβον παρέχοντας τοῖς Λακεδαιμονίοις ἀναγκάσαι ἐς τὸ πόλεμον*, quae c^e 88 isdem fere repetuntur: *ἐψηφίσαντο δὲ οἱ*

Λακεδαιμόνιοι τὰς σπονδὰς λελύσθαι . . . φοβούμενοι τοὺς Ἀθηναίους μὴ ἐπὶ μεῖζον δυνηθῶσιν ὁρῶντες αὐτοῖς τὰ πολλὰ τῆς Ἑλλάδος ὑποχείρια ἤδη ὄντα. His continuo adiungas velim quae leguntur 118,2 (adiecta quidem *γὰρ* particula ex c. 89 init. recepta et omissis verbis *ἐν οἷς Ἀθηναῖοι*): *ἐν γὰρ ἔτεσι πεντήκοντα μάλιστα μεταξὺ τῆς Ξέρξου ἀναχωρήσεως καὶ τῆς ἀρχῆς τοῦδε τοῦ πολέμου τήν τε ἀρχὴν ἐγκρατεστέραν κατεστήσαντο καὶ αὐτοὶ ἐπὶ μέγα ἐχώρησαν δυνάμεως* quo nexu aptissimo simul inde a quo tempore Atheniensium opes ita creverint significatur. Quod autem excusationem quasi quandam protulit Thucydides c° 97 demum, non est cur cum Cwiklinskio cc. 97—118 tantum secundae manui tribuas: nam et ipse scriptor minus sane hanc digressionem quam alteram ad rem pertinere sensit, tamen cum luculentiorem etiam *τῆς ἀρχῆς ἀπόδειξιν τῆς τῶν Ἀθηναίων ἐν οἵῳ τρόπῳ κατέστη* praeberet simul cum priore expositione scripsit; in duas autem partes singulares tota divisa est, quod priore quomodo Athenienses imperium adepti sint, posteriore quae sub eorum imperio Graeci gesserint narratum est. Neque minus improbandum est quod Cwiklinskius dicit, si 93,5 de muro deleto cogitandum sit, huic etiam loco secundam manum admovisse Thucydidem credere oportere. Totum enim caput 93 uno eodemque tempore scriptum esse — sive id post annum 421 sive post annum 404 statuis — ex his patet: Themistocles cum id ageret ut quam firmissimas Athenas terra marique efficeret, civibus ut et urbem et portum moenibus circumdarent auctor fuit; caput igitur 93 duabus partibus constat quarum altera de urbis muris eorumque exstructione, altera de Piraeei munitionibus dicitur, quorum utrumque in fine capitis verbis *Ἀθηναῖοι μὲν οὖν οὕτως ἐτειχίσθησαν* comprehenditur. Omnibus igitur rationibus adducimur ut omnia cc. inde a 89 usque ad 118,2 retractationi tribuenda statuamus.

Sed paene nos de 93,5 tantum dicturos fuisse obliti sumus. Atque cum iam ex iis quae modo disputavimus appareat, eum locum post annum 404 scriptum esse, etiam ex eius ipsis verbis hoc evinci potest. Sane quae ad hoc caput priori tempori tribuendum et de verborum *νῦν ἔτι* vel *ἔτι καὶ νῦν* usu et de oppositione inter *τὸ πάχος* et *τὸ ὕψος* adfert Ullrichius probabilia videntur; tamen haud scio an Krügerus (krit. anal. p. 70 adn. 2) iure *νῦν ἔτι* tum solum adhiberi posse dicat cum rem quandam etiam exstare

scribentis tempore mirabilius quam quod exspectetur appareat. Sin autem de hac paragrapho idem quod de prima statuendum esse vult, eo minus habemus quod obiciamus quod supra iam totum caput eodem tempore scriptum esse docuimus. Sed quid impedit quominus eam quoque post dirutos muros scriptam accipiamus? Num festinanter eos exstructos esse tum solum cum incolumes erant perspici poterat? Vereor ne contrarium statuendum sit, etenim cum de fundamentis tantum legamus, eadem autem sine dubio in reliquo quoque muro observari potuerint, eum, cum haec scriberet, nihil nisi illa vidisse veri est simile, quin etiam deletis moenibus fundamenta facilius explorantur quam integris. Deinde verum est *πάχος* et *ὕψος* sibi opposita esse; minime autem, ut voluit ille, quae fuerit altitudo eo significatur, sed hoc tantum indicare sibi proposuit Thucydides: cum, quod ad crassitudinem attinet, ingeniosissimum Themistoclis consilium ad finem perductum sit, tantum abest ut de altitudine idem dici possit, ut dimidium modo eius quod decreverat absolveretur. Denique, si praeter grammaticum enuntiatorum etiam liberiorem sententiarum nexum respicimus, illud *δῆλόν ἐστι* non solum ad *πάχος* verum etiam ad ea quae sequuntur: *ἐντὸς δὲ οὔτε χάλιξ οὔτε πηλὸς ἦν κτέ·* referendum est. Sin autem non solum hoc concedis, sed etiam diligentius quomodo et singulae res descriptae sint et quae ipse viderit scriptor narrare soleat reputas, tibi persuasurum me spero scripta ea esse postquam Thucydides ipse dirutos Piraeei muros inspexerit.

Reliquum est ut complures locos, quos Classenius et Cyprianus cum in iis suae sententiae argumenta posita esse arbitrarentur in medium protulerunt, non oportere post finem totius belli Peloponnesiaci scriptos esse demonstrem.

I 77,6, quo legati Atheniensium ante bellum exortum in contione Lacedaemoniorum de condicionibus dicunt quae inter ipsos et socios erant, verbis *ὑμεῖς γὰρ οὖν, εἰ καθελόντες ἡμᾶς ἄρξαιτε, τάχα ἂν τὴν εὔνοιαν ἣν διὰ τὸ ἡμέτερον δέος εἰλήφατε μεταβάλοιτε κτέ·* exitum belli iam significatum vult Classenius (p. XLVIII). Sed iam Ullrichius, cum hoc obiectum iri sibi praevideret, haec verba non de Spartiarum acerbissima in socios dominatione quae bellum insecuta est intellegi posse dixit nisi antea librum primum scriptum esse post annum 404 demonstratum esset. Et recte quidem. Athenienses enim cum quam diversi essent sociorum et Lace-

daemoniorum animi haud ignorarent, quid mirum quod recte coniecerunt?

Idem fere de I 144,1 dicendum est ubi Classenius (p. XLVIII) et Cyprianus (p. 11) in Periclis verbis *Πολλὰ δὲ καὶ ἄλλα ἔχω ἐς ἐλπίδα τοῦ περιέσεσθαι, ἢν ἐθέλητε ἀρχήν τε μὴ ἐπικτᾶσθαι ἅμα πολεμοῦντες καὶ κινδύνους αὐθαιρέτους μὴ προστίθεσθαι· μᾶλλον γὰρ πεφόβημαι τὰς οἰκείας ἡμῶν ἁμαρτίας ἢ τὰς τῶν ἐναντίων διανοίας* sine dubio expeditionis Siciliensis cognitionem perspexisse sibi videntur. Quid autem? Periclem, quem unum omnium ut in rebus gerendis versatissimum ita hominum studia ac cupiditates moderandi peritissimum fuisse nemo negabit, nonne adeo civium suorum animos cognitos habere putabimus ut ‚ne ultro in pericula inruerent magisque suis peccatis sibi nocerent quam hostium consiliis caderent se metuere' praedicare potuerit? Quid quod II 65,7 Thucydides ipse eum ita sensisse planissimis verbis adfirmat. An ideo tantum eum haec exposuisse putas ut iis quae supra illum dicere finxisset fidem faceret? Vereor ne nulli alii scriptori hoc tantum opprobrium iniungere audeas, nedum Thucydidi.

I 122,1 et 142,4 ad bellum Ionicum et Deceleicum spectare contendit Classenius. Quasi vero quae ibi aut suadentur aut metuuntur belli gerendi rationes nunquam antea adhibitae fuerint adeoque mirae sint ut nisi posteriore belli Peloponnesiaci parte bellantibus sibi praebere non potuerint!

II 12,3 cum in eo est ut Archidamus primam in Atticam incursionem faciat, Melesippus qui Lacedaemoniorum legatus ab Atheniensibus re infecta rediit, in finibus Atticae haec dicit: *Ἥδε ἡ ἡμέρα τοῖς Ἕλλησι μεγάλων κακῶν ἄρξει* quae, ut contendit Cyprianus (p. 12) ‚*προοινίζεται τὸν μακρὸν εἰκοσιεπταετῆ πόλεμον*' neque a Thucydide memoriae prodita essent nisi atrocissimas belli posterioris clades vidisset. Cum autem quin ea verba dicta sint dubitari non possit — haud enim ita eximii ingenii acuminis est a bello quod omnes utrimque Graeci paraverant (cf. I 1,1) multa mala prospicere — et decem primis annis iam satis magnis calamitatibus et Athenienses et Peloponnesiaci adfecti fuerint, non est quod paulo post annum 421 hunc locum scribi potuisse negemus.

III 68,4 Cyprianus (p. 13) post bellum Archidamicum nondum scribi potuisse contendit *σχεδὸν δέ τι καὶ τὸ ξύμπαν περὶ Πλαταιῶν οἱ Λακεδαιμόνιοι οὕτως ἀποτετραμμένοι ἐγένοντο Θηβαίων ἕνεκα, νομίζοντες ἐς τὸν πόλεμον αὐτοὺς ἄρτι τότε*

καθιστάμενον ὠφελίμους εἶναι quia cum non amplius quinque annis superessent et paulo post Plataeas expugnatas clades illa in Sphacteria insula eveniret, qua facta bellandi studium utrimque paulatim refrigeraretur *πόλεμος ἄρτι τότε καθιστάμενος* dici non potuerit. Falso autem interpretari mihi videtur Cyprianus verbum *καθίστασθαι*: neque enim ut I 1,1 exortum sed, ut III 3,1 vigens bellum significat, cum autem Lacedamoniis illa calamitas non paulo, sed duobus annis post Plataeensium deditionem adlata sit, quam aliae etiam pugnae — non nomino nisi Delicam et Amphipolitanam — secutae sint, anno 427 bellum viguisse vel post primum eius finem summo iure dici potuit.

Firmissimum autem suae opinionis praesidium ex eiusdem libri cc. 93,2 et 100,2 petiisse sibi videtur Cyprianus (p. 14) atque adeo Cwiklinskius (quamquam rem in medio relinquit) dubitat (p. 37 cf. 39) an caput illud post annum 404 scriptum esse statuendum sit. Tamen scrupulum hunc dempturum me esse confido. Legimus autem ibi anno 424 coloniam a Lacedaemoniis Heracleam Trachina deductam esse (92,6) a qua ne multum detrimenti capturi essent Athenienses metuerint (93,1). Aliter autem evenit, nam et quia male res administrabant praefecti colonia corruit (93,3) et *οἱ Θεσσαλοὶ ἐν δυνάμει ὄντες τῶν ταύτῃ χωρίων καὶ ὧν ἐπὶ τῇ γῇ ἐκτίζετο, φοβούμενοι μὴ σφίσι μεγάλῃ ἰσχύι παροικῶσιν ἔφθειραν καὶ διὰ παντὸς ἐπολέμουν ἀνθρώποις νεοκαταστάτοις, ἕως ἐξετρύχωσαν γενομένους τὸ πρῶτον καὶ πάνυ πολλούς* (93,2). Iam Cyprianus: Thucydides etiam cognovit ‚*τὴν ἐκτρύχωσιν τῆς πόλεως. Ἡράκλεια ἐξετρυχώθη βέβαια ὄχι ἐν τοῖς τέσσαρσιν ἔτεσιν ἅτινα λείπονται μέχρι τῆς εἰρήνης τοῦ Νικίου, ἀλλὰ κατὰ τὸν μετέπειτα χρόνον.*‘ Eo consilio autem verba haec neograce apposui ut ipso adspectu pateat quo, ni fallor, errore adductus ille (et haud scio an etiam Cwiklinskius) sit ut hunc locum tempori post totius belli finem tribueret. Urbis enim excidium intellexisse videtur, cum de urbe ipsa nihil dicat Thucydides, sed incolas tantum *ἐκτρυχωθῆναι* referat. Urbs autem num aut quando intra bellum Peloponnesiacum diruta sit, frustra quaeramus cum neque apud ullum scriptorem inveniatur neque omnino sit veri simile. Urbem enim deletam esse Thucydidem non significavisse et ex verbis *καταστάντες δὲ ἐτείχισαν τὴν πόλιν ἐκ καινῆς, ἣ νῦν Ἡράκλεια καλεῖται* (quae eam quo tempore scripsit fuisse etiam ostendant) apparet et ex brevi rerum Heracleensium quae a

veteribus memoriae proditae sunt narratione elucet quam proponere hic mihi liceat ducem secuto Weilium qui in commentatione ‚Die Oetaea im 4. jarhundert' (Hermes VII p. 381 sqq.) de eis disseruit. Heracleenses igitur a Thessalis inde ab initio vexati (Thuc. III 93) anno 420 gravem cladem accipiunt (Th. V 51. Diod. XII. 77). 412/11 Agide contra Oetaeos profecto (Th. VIII 3) 409 iterum vincuntur (Xen. Hell. I 2,18). Inde ab eo tempore anno 395 demum sub adspectum veniunt quo ad Haliartum (Xen. Hell. III 5. 6) et 371 quo ad Leuctra (ib. VI 4. 9) dimicant. Paulo post demum urbs ad Iasone Pherarum tyranno improviso expugnata moenibus privatur eiusque fines inter Malienses et Oetaeenses distribuuntur (Diod. XV 57 Xen. Hell. VI 4. 27). Itaque de Heracleae incolis tantum loco illo cogitandum esse patet; *ἐκτρυχοῦν* autem non ‚ad internecionem caedere' significare potest, cum anno 409 et 395 Heracleenses fuisse constet, sed tantum ‚attenuare', quod vel ex verbis adiectis efficitur *γενομένους τὸ πρῶτον καὶ πάνυ πολλούς*; hoc autem usque ad annum 418 vel 417 (in duos enim libros et dimidium conscribendos complures annos impensos esse per se ipsum veri est simile) fieri facile potuit. Quod autem c. 100,2 paucis annis interiectis non *Ἡρακλείας . . . τότε νεοκτίστου οὔσης* dici potuisse ei videtur; cur non de anno vel minimo spatio a scribentis tempore distanti particula *τότε* usurpari possit equidem non intellego.

Aliud v. *τότε* exemplar causa fuit cur IV 12,3 ad bellum Deceleicum spectare ab eodem dicatur (p. 15). Cum enim pugna ad Pylum commissa Athenienses terra, mari Lacedaemonii dimicarent et partes ut ita dicam quasi mutavisse viderentur, mira haec rerum commutatio his verbis inlustratur: *ἐπὶ πολὺ γὰρ ἐποίει τῆς δόξης ἐν τῷ τότε τοῖς μὲν ἠπειρώταις μάλιστα εἶναι καὶ τὰ πεζὰ κρατίστοις, τοῖς δὲ θαλασσίοις τε καὶ ταῖς ναυσὶ πλεῖστον προέχειν.* Illud igitur *ἐν τῷ τότε* docere Cyprianus contendit, postea saepius eodem qua apud Pylum mutata dimicandi ratione pugnatum esse. Quid autem? num verbo *τότε* semper *ὕστερον* opponendum est? an scriptorem, si posterioris belli vicissitudines respexisset, hoc ne significaturum quidem vel etiam, ut IV 81,2 (*ἔς τε τὸν χρόνῳ ὕστερον μετὰ τὰ ἐκ Σικελίας πόλεμον κτέ.*) planis verbis expressurum fuisse existimamus? Ac vereor ne qui belli Peloponnesiaci plane ignarus hunc locum legerit non postea res prorsus mutatas esse inde suspicetur.

Iam ad finem disputationis meae perveni. Quod enim mihi proposueram, satis gravibus argumentis demonstravisse mihi videor: esse in quattuor primis historiae Thucydideae libris locos quosdam (II 1,1. II 54,3. II 57. III 26. III 87. IV 48. I 23,1—3. I 10 et prooemium I 1,1—23,1) quos post totum bellum Peloponnesiacum scriptos esse existimare non possimus, cum alii loci quos attulit Ullrichius (II 9. II 54,4. II 8. II 34. II 48. III 86. I 13. I 18. I 21) persuadendi vim non habeant; neque tamen deesse locos (I 89—118,2. II 65,7 — extr. II 100. III 82 et 83. IV 48 verba ὅσα γε κτέ. IV 74,4. IV 81,2. IV 108,4) quos post finem totius belli scriptos esse concedere oporteat. Ex his autem nec minus ex duobus prooemiis apparet, Thucydidem post pacem Nicia auctore factam totum bellum iam finitum ratum eius historiam incohasse; postea consilio mutato etiam temporis medii et belli Deceleici narrationem adiecisse; prius autem opus retractavisse quibusdamque locis amplificavisse. Haec igitur iam ab Ullrichio universe recte disputata atque nunc iterum ab adversariorum argumentis defensa firmissima sunt, ut iure ab eis profectus alteram suam sagacissimam de Thucydidea historia doctrinam Cwiklinskius constituere potuerit.

Altera autem quaestio oritur, quo loco prioris historiae huius finis statuendus sit. Neque negari potest hac de re prorsus nos in incerto haerere, quaecunque autem ad eam diiudicandum prolata sint nihil nisi coniectanea perquam incerta esse. Tamen hoc dicendum est, Ullrichii sententiam qua IV 48 scribendo finem fecisse et post annum 404 demum perrexisse scriptorem voluit parum probabilem videri, cum si insequentia capita usque ad V 24 cum iis quae antecedunt comparantur nullum in scribendo discrimen quod decem annis interiectis facile perspici poterat inveniri credam, post illud autem caput narrandi et describendi ratio adeo mutetur ut vel Classenius (in praef. ad l. V p. 31), quamquam totum opus post annum 404 eodemque a primis initiis consilio conscriptum putat, librum V inde a fine prioris belli post expeditionis Siciliensis narrationem demum in eam quam nunc habemus formam redactum esse censeat. Qua de re utut sentimus hoc confirmatur libri quinti duas partes (c^{e} 25 vel iam 20 disiunctas), cum scribendi ratione vehementer inter se discrepent, diversis temporibus compositas esse. Hanc ob causam ea comprobanda mihi videtur

sententia qua Thucydides iam ante annum 414 totam belli Archidamici historiam absolvisse quaeque Deceleici belli cognitionem iam praebere videntur post annum 404 inseruisse existimatur. Ac ne quis nobis obiciat, mirum videri eum paucis post quarti libri finem capitibus scribere desiisse, moneo, inter omnes fere viros doctos constare librorum distributionem non auctori ipsi tribuendam esse; quodsi esset, quin secundum rerum ipsarum gestarum partes historiae suae libros dispertiturus fuerit atque finis belli Archidamici cum fine libri congrueret haud dubitari potest. Steupii autem opinio, totum prius bellum sine maioribus intercapedinibus scriptum et anno 409 vel 408 absolutum esse cur reicienda mihi videatur iam supra exposui. Quamquam enim Krügero omnino non adsentior cui omnes octo libri uno anno absolvi potuisse visi sunt (cf. krit. anal. p. 64 et adn. 2) tamen persuadere mihi non possum duodecim vel tredecim annos ad quattuor libros conscribendos idque ‚sine maioribus intercapedinibus' opus fuisse, praesertim cum ab ineunte bello commentarios eum fecisse constet.

Sed iam finem disputandi faciam. Cum enim quam incerta haec quamque difficilia sint non ignorem, cum certi quicquam de capitibus IV 48—V 25 vix unquam erutum iri arbitrer, quaestionem de iis nunc in medio relinquendam censeo.

VITA.

Natus sum Eduardus Paulus Ippel a. d. VII. Idus Maias a. 1849, Berolini, patre quem morte iam mihi ereptum doleo Augusto, matre adhuc viva Maria de gente Bahn. Fidem profiteor evangelicam. Primis litterarum elementis in schola elementaria imbutus, anno 1859 gymnasium adii Franco-Gallicum. Anno 1866 maturitatis testimonium adeptus Berolini almae universitatis litterariae Friderico-Guilielmae civibus adscriptus sum. Postquam per aestatem anni 1868 Heidelbergam migravi in urbem patriam redii. Per octo semestria scholis interfui vv. dd. Boeckhii Bonitzii Droysenii Hauptii Hübneri Kiepertii Kirchoffii Koechlyi Mommsenii Müllenhoffii Riesii Scherreri Tobleri Trendelenburgii. Bello cum Franco-Gallis anno 1870 coorto per aliquot menses stipendia merui, morbo autem Berolinum redire coactus studiis privatis me dedi. Anno 1874 bibliothecae regiae adiunctus sum quo munere etiamnunc fungor.

Berolini, Typis A. Haack, Dorotheenstr. 55.

UNIVERSITY OF ILLINOIS-URBANA
881T6.YI C001
QUAESTIONES THUCYDIDEAE.
3 0112 023841379